MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81175-14

AUTHOR:

SCHEIBEL, EWALD

TITLE:

DE EURIPIDIS HIPPOLYTE ...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1841]

Master Negative #

93-81175-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88ED
Z2

Scheibel, Ewald, 1819-1873.
De Euripidis Hippolyto ... Berolini, formis Veidlianis, [1841].
55 p. 23 cm.

Thesis. Berlin.
Volume of pamphlets

~~D88ED~~
~~Z8~~
~~v.1~~
~~Copy in Classics Reading Room.~~

371277

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3.15.93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Scheibel

15

DE EURIPIDIS HIPPOLYTO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINEAT
DIE XXX. MENS. MART. A. MDCCCXLI.
HORA I. IN AULA MINORE
PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR
EVALDUS SCHEIBEL
GUBENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
FRIDERICUS MARTINY, JURIS UTR. CAND.
MAURITIUS DITTRICH, PHIL. DR. DES.
EDUARDUS BORCHARD, PHIL. CAND.

BEROLINI
FORMIS VEIDLIANIS.

VIRO ILLUSTRISSIMO

CAROLO TIMOTHEO ZUMPTIO

PRAECEPTORI EGREGIE DE SE MERITO

PATRONO MAXIME REVERENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMAE PIETATIS ET GRATISSIMI ANIMI

TESTES ESSE

VOLUIT

EVALDUS SCHEIBEL.

Praefatio.

Ne quis nesciret, in commentando Euripidis Hippolyto quid voluissem, quid, etiamsi voluissem, non potuissem praestare, pauca sunt praemonenda visa. Ego vero, quominus accuratam et ab initio ad finem usque continuatam totius fabulae interpretationem aut censuram textus exhiberem, tam imbecillitate virium, quam tanti operis difficultate praepeditus, arctiores libello terminos con-

stitui, nimirum id spectans potissimum, ut cum οἰκονομίαν, quam dicunt, historiamque et consilium dramatis, tum fabulae, in eo expressae, vim et notionem declararem. Quocirca primum argumentum tragoediae in eas partes, quas Aristoteles [?] de Art. Poët. cap. XII. indicat, distributum enarrare, deinde duplicem ejus editionem, annumque, quo acta posterior esset, demonstrare, tum artificium poëtae, in componendis fabulae partibus conspicuum, ostendere, denique mythum, quo ea niteretur, explicare studui. Quod quidem studium si Viri Docti non frustra me consumsisse judicaverint, fructum ejus amplissimum illorum mihi judicio videbor consecutus. Sin vero multa, imo plurima ita, ut debebant expendi, expensa mihi non fuerint, iidem, quaeso, juvenilem ardorem juvenilibus etiam erroribus obnoxium esse solere, benevole recordentur!

Postremo peringratum accidit, quod vel in pauculas hasce pagellas menda aliquot, non mea culpa, sed typothetae imperitia, irrepserunt: quae rogo ut corrigas, lector, scribendo:

pag. 2. v. 32. extructae pro etxructae,
pag. 3. v. 4. Troezenia- pro Trozenia-,
pag. 4. v. 6. quam pro qnam,
pag. 8. v. 19. chorus pro ehorus,
pag. 9. v. 27. deinde pro dicere,
pag. 10. v. 9. venisse pro venisc,
pag. 29. v. 24. ἡδονῇ pro ἡδονή,
pag. 37. v. 1. αὐτοῦ pro αυτοῦ.

Scrib. Berolini, d. XXIV. m. Mart. a. MDCCCXLI.

COMMENTATIONIS
DE EURIPIDIS HIPPOLYTO
CAPUT PRIMUM.
Descriptio actionis partiumque fabulae.

I. *Πρόλογος.* Prologum agit Venus, quam quae juxta sinistrum introitum extructa super scenam pendet machina exhibet. Scena est Troezene ante aedes Pitthei, quae in recessu conspiciuntur: a sinistra proscenii parte urbem reliquam, a dextra vero rupes, urbi propinquas, prospectare licet [Cf. fab. nost. ed. H. Monk. v. 120. seqq.]. In proscenio arae Dianae [v. 72. seqq.] et Veneris [vv. 100, 115.] extructae fuisse videntur. Agi fabula die verno [v. 76.] paulloque post ortum solem ordiri putanda est. Theseus initio actionis non adest Troezene [vv. 281, 655.]. — Venus igitur de celebritate, qua nomen ipsius inter mortales ferretur, gloriata, communem illam deorum indolem, scilicet ut adorati ab hominibus et honorati benevolentia, neglecti

vero et contemti ira erga eos impleantur, in caussis esse profitetur vehementissimi, quo Hippolytum persequatur, odii. Is enim quum ipsius majestatem majestati Dianae posthabere petulanter ausus esset, gravissimas luat poenas oportere. Quas quidem quomodo ei jam dudum machinata sit, demonstrat. Nimirum se auctore factum esse, ut, quum Hippolytus aliquando Troezene relicta Athenas venisset veneranda visurus mysteria Eleusinia, noverca Phaedra flagrantissimo ejus amore caperetur: qui ut cresceret novosque in diem spiritus sumeret, satis provisum exilio esse, quod cum marito, Pallantidarum piaculum evitaturo, apud Pittheum et in quotidiana privigni consuetudine agitare coacta esset. Haec licet scelestam, qua pereat, libidinem celare studeat, semet ipsam, re Theseo prodita, effecturam esse sperat, ut cum Phaedra, utpote cui et ipsi parcere non possit, Hippolytus quoque mortem occumbat. Abit Venus, postquam Hippolytum, magna servorum corona stipatum appropinquare vidit, sinistrorsum [1—57.]. Auditur e propinquo Hippolyti, a venatu reducis, oratio, qua comites ad laudandam Dianam cohortatur: cui cohortationi postquam illi breviter satisfecerunt, ipse cum suis in scenam prodit, Dianam precans, ut, quam ei e prato, nulla falce tonso, nexuerit coronam, eam benevole accipiat. Vituperatus deinde a servorum uno, quod prae unius numinis studio caeteros deos maximeque Venerem negligeret: eam quidem vituperationem tantum non irridens, jubet epulas fessis venandi labore gratissimas intus apparari. Quae ubi dixit, abit Hippolytus, dextrorsum descendens [v. 112.]. Comites statuae Veneris, ante aedes regias etxructae, justa executi, precatique, ut, quam herus admisisset levitatis culpam, ei condonaret, in aedes et ipsi revertuntur [v. 119.].

II. *Πάροδος*. Prodit chorus mulierum Trozeniarum, narrans ille de Phaedrae conditione cuncta, quae ab amica quadam cum ipso communicata erant: morbo scilicet tabescentem eam nec exire domo, nec cibos sumere velle, sed occulto moerore confectam ad mortem tendere. Cujus quidem miserrimae Phaedrae sortis quae esse caussae queant, investigat. Ponit autem quattuor, primam, quod, justis libis sive Pani sive Hecatae sive Cybelae sive Dianae impie denegatis, deorum iram in se converterit, alteram, quod maritum, philtris delenitnm, apud meretricem degere compererit, tertiam, quod tristem nuntium, e patria allatum, audierit, quartam denique, quod ob instantis partus dolores morosam animi aegritudinem contraxerit. Quarum caussarum quae vera sit, quae non dubius fluctuans certa se edoctum iri a nutrice sperat, cujus adventum anapaestis indicat [vv. 120—175.].

III. *Ἐπεισόδιον πρῶτον*. Comparet nutrix, prosecuta e palatio Phaedram, quae in lecto aut sedere aut jacere putanda est. Conquesta illa dominae, mente laborantis, miseram inconstantiam et iniquam inde famulae sibi natam conditionem, mortem potiorem praedicat vita, cujus amore plerosque non teneri, nisi quod eam, quae mortuos ipsos mansura sit, sortem ignorent [v. 197.]. Quas querimonias interpellans Phaedra diversissima primoque adspectu obscurissima nuncupat vota: quae etsi a nutrice ad amentiam dominae exprobrandam detorquentur, animum tamen perdite amantis, omnesque vias ac rationes, quibus par

sibi cum amasio obtingere possit vitae consuetudo, sagaciter excogitantis apertissime produnt [v. 238.]. Reprehensa deinde a nutrice propter animi mutabilitatem, ac ne quis eorum, quae fecisset, votorum veram conjecturus caussam esset pudenter verita, caput tegi vult [v. 249.]. Quo facto nutrix, qnae totam vitam ad quietis, omni cura labore molestia vacuae, resecat normam, mediocres et quas facile solvere liceat amicitias mortalibus commendat, eamque mediocritatem in unaquaque re iis amplectendam proponit. A choro deinde, quo Phaedra morbo laboraret, et quae ejus caussa esset, interrogata neutrum se scire aut e domina elicere posse affirmat: quo tamen infelici operae suae eventu, quominus rursus rursusque quaerat, minime se impediri. Heram ergo denuo aggressa rogat et orat, ut, si morbo muliebri laboret, eum praesentium feminarum coronae prodere, sin vero alio eoque viris declarando crucietur, eum medicis indicare velit: id quod eo magis dicit necesse esse, quo arctius cum ipsius vita liberorum sit salus felicitasque conjuncta. Quibus omnibus quum nihil profecisset, genua Phaedrae amplexa se non dimissuram esse ait, nisi edoctam de caussa morbi, quem contraxerit. His demum mota amicitiae testimoniis Phaedra se privigni amore perire oblique profitetur. Quo audito nutrix et chorus in lamentationes erumpunt, illa quidem mortem sibi imprecans, hic vero infaustum Phaedrae amoris exitum augurans [v. 374.]. Chori querelas excipiens Phaedra, se saepe dicit meditatam de pravo hominum ingenio, quo viderent illi quidem probarentque meliora, at ignavia vel alia voluptate pellecti deteriora sequerentur, postremo in eam abi-

isse sententiam, qua illicitum, quo ipsa laboraret, amorem quum nec corde premere nec sapientia superare potuisset, morte effugiendum esse judicaret. Talem scilicet victimam ea requiri, quae matrem deceret, liberorum prospicientia, quos parentium non frangi sceleribus, sed virtutibus efferri debere [v. 432.]. Moderatione deinde, tanquam omnis verae gloriae genitrice, a choro laudata, nutrix dominam ab horribili mortis sibi consciscendae consilio avertere studet, invictae Veneris potentiae cedendum esse consolans, cui quum nec dii resistere queant, mortales nisi cum ipsorum pernicie reluctari non posse. Denique quoniam nihil in hac terra perfectum sit aut absolutum, quisquis plurimis rebus utatur secundis, eum minores importunitates aequo animo ferre oportere [v. 483.]. Quam orationem etsi collaudat chorus ut praesenti aptam calamitati, tamen idem nec Phaedrae, rebus humanis verecunde renuntianti, justam detrahit approbationem [v. 487.]. Famula vero, a Phaedra acerbe vituperata, quod pulcris verbis rei turpitudinem tegere studuisset, eam vituperationem in malam partem sic interpretatur, quasi hera non contenta verborum solamine, viro amato se indigere innuerit ipso: celerrime ut explorandum esset, utrum Hippolytus dominae amori responderet, necne. Quod tamen turpissimum nutricis obsequium postquam obstinate improbavit rejecitque Phaedra, tandem ei, amoris philtro incantandi rationem proponenti, cedit, modo ne in symbolo, quo opus sit, ab amato comparando pectoris ipsius affectionem prodat. Hinc famula ad rem ambigui exitus bene instituendam perficiendamque Veneris auxilium precata, in palatium abit, Hippolytum in-

vestigatura. Phaedra remanet, considens, ut videtur, in lecto suo [v. 526.].

IV. Στάσιμον πρῶτον. Chorus Amoris vim atque potentiam celebrat: quem, si moderatus accedat, desiderium praebere dulcemque gratiam, sin vero immoderatus irruat, pestem perniciemque secum ferre. Ignium enim et siderum ictu acutius esse Amoris telum. Quem quum publice non placent Graeci, frustra eos et Jovi Olympio et Apollini Delphico victimas mactare. Sic nihilominus saevam manere Amoris iram, unde quam dirae clades aliquando exortae sint, Ioles Semelesque exemplis ostenditur [vv. 527—564.].

V. Ἐπεισόδιον δεύτερον καὶ κομμὸς πρῶτος. Interea nutrix in iis, quae promiserat, exequendis acerbissimum repulsae pretium ab Hippolyto tulit. Quod ipsum Phaedra e jurgiis, quae in aedibus jactari audit, conjiciens chorum tacere jubet, [Κομμός] de se actum esse autumans. Hic mirans Phaedrae trepidationem, ex ea, quid sit quo perturbetur, quaerit. Phaedra attentioribus auribus voces intus colloquentium imbibens, primum quidem Hippolytum agnoscit, contumelias fundentem, tum vero etiam nutricem, conviciis ab illo petitam. Quibus perspectis chorus et Phaedra nutricem execrantur, quod dominae crimen Hippolyto prodere non dubitarit; haec vero simul eorum, quibus laboret, dolorum solum in morte sibi relictum videri remedium haud obscure innuit [vv. 565-596.]. Egrediuntur ex aedibus Hippolytus et nutrix: quae quum illius orationem reprimere studuisset frustra, Hippolytus in feminarum sexum invehitur, merae eum hominum perniciei natum esse perhibens, adeoque

progrediens temeritatis, ut vel divinae sapientiae leges scribere audeat, quibus genus humanum melius, quam per feminas, propagari posse videatur. Liberi enim si non e mulieribus nascerentur, sed aut aere aut ferro aut auro diis dedicato emerentur, omnem sexum femineum non desideratum iri. Videlicet cum uxore ducta pestem in domum inferri: cujus quum simul cognati in amicitiam recipiendi sint, plerumque accidere solere, ut vel pravis cognatis vel improba uxore utatur vir: cui adeo gratulandum esse, si talem inveniat, quae stultitia excellat, quaeque proinde ultra fines feminarum naturae praescriptos non progrediatur. Callida enim uxore nil nequius esse, nil perniciosius. Postremo Hippolytus etiam eam mulierum consuetudinem acerbe exagitat, quod plerumque servarum turba stipatae, earum consiliis se duci patiantur turpissimis, quae si spernerent aut omnino non desiderarent, multiplici eas miserie liberas futuras esse. Quod verum esse etiam praesenti calamitate confirmari, quam tantam esse, ut ipsa audienda scelus sibi commisisse videatur, expiatione dignum. Rem vero ipsam, de qua agatur, quum jurejurando sibi obstricto divulgare non liceat, se in eo esse, ut peregre abeat, odium tamen, quod in feminas conceperit, nonnisi his temperantiam doctis depositurus. Quibus dictis discedit dextrorsum [v. 664.]. Postquam igitur ea, quam nutrix periclitata erat, dominae morbo liberandae ratio in irritum cecidit, nodus argumenti, cujus expediendi summa inde difficultus orta sit, quo altero modo dissolvi queat, circumspicit chorus. Phaedra vero de deorum hominumque in re injusta auxilio desperans, unum solumque in morte reliquum esse perfugium autumat. In-

jecta deinde a choro nutricis, tanquam instantis miseriae auctoris, mentione, Phaedra eam gravissimis iratae atque in summam consilii inopiam dejectae compellat vocibus, perniciemque ei imprecatur, cujus loquacitate vel morti ipsius laus omnis demta sit. At quum vereatur, ne Hippolytus crimen ipsius proditurus sit, celerrime eum praeveniendum esse ait: quam in rem consilium suppeditantem nutricem duriter rejicit, Troezenemque derelinquere jubet [v. 706.]. Famula jussui domina obtemperans dextrorsum abire putanda est. Quo facto cum mulieribus Troezeniis, aeternum de iis, quae vidissent audiissentque, silentium jurejurando pollicitis, mortis sibi consciscendae consilium, qnod ceperit, communicat: quo perpetrando se et filiis gloriosam vitam parituram et sibi profuturam ipsam, et vero Hippolytum, quem obscure memorat, temperantiam modestiamque docturam esse sperat. A quo proposito postquam frustra dehortatus est chorus, Phaedra in palatium redit [v. 728.].

VI. Στάσιμον δεύτερον. Optat chorus, ut sibi avis instar in alium orbem avolare liceat, ne ingruentem familiae principum perniciem praesens videat. Affert autem, quo locos remotos designet, tum terram, Adriatico mari propinquam, cujus fluvium memorat fabulosum Eridanum, tum hortos Hesperidum, in confiniis maris et terrae sitos [v. 748.]. Deinde navem execratur, qua Phaedra, Theseo nuptura, e Creta Athenas advecta sit, eam vel utrobique vel certe a parte Cretae male ominatam fuisse autumans. Ex istis scilicet infaustis Phaedrae conjugii auspiciis amorem ejus derivandum esse infelicissimum, cujus poenas solutum

eat. Sub finem ipsam Phaedrae necis rationem, quam praesentit, auguratur [vv. 749 — 774.].

VII. Ἐπεισόδιον τρίτον. Interea Phaedra manum sibi intulit ipsa, litteris relictis, quibus ad sumendam mortem se ea re adductam esse simulavit, quod privignus Hippolytus lectum ipsius stupro commaculare nefarie ausus esset. Prodit ἐξάγγελος, cui Phaedram laqueo semet ipsam suspendisse narranti, celerrimamque chori ad eum discindendum operam efflagitanti supervenit Theseus, qui, Delphis redux, a sinistra parte per orchestram in scenam ascendit. Ἐξάγγελος redit in aedes [vv. 775 — 789.]. Theseus obstupefactus iis, quae intra domum audiisset, servorum lamentis, frigidamque, qua exceptus esset, negligentiam admiratus, num forte Pittheo seni humani quid acciderit, percontatur. Negat chorus, Phaedram esse profitens, quae quod sibimet ipsa mortem consciverit, defleatur. Hinc Theseus aedium claustra solvi jubet, ut, quod aures perceperint, oculi manusque contestentur. Valvis apertis Phaedrae funus, in eccyclemate expositum, conspicitur. Quod contemplatus Theseus in lamentationes de infausta, quae sibi obtigerit, sorte erumpit, vitamque vitalem esse negans, calamitatem divinitus immissam arbitratur, qua majorum delicta expiarentur. Consolantem dicere chorum, aliosque eandem cum Theseo miseriam exantlasse monentem, vix audiens, inter frequentes vitae execrationes mortisque obtestationes, tabellas, Phaedrae manu scriptas, animadvertit: quae dum a rege rescinduntur, chorus novae eas aerumnae auctores fore haud stulte conjicit. Etenim The-

seus postquam summam schedulae luctuosa oratione cum choro communicavit, iratus optat a Neptuno patre, ut unius eorum, quae sibi promiserit, votorum ipsum compotem faciat filio occidendo. Hoc optatum ut revocet, frustra a choro rogatur rex, qui Hippolyto adeo exilium minitatur, si forte Neptunus ipsius precibus propitias aures praebiturus non sit [vv. 790—902.]. Chorus Hippolytum commode adventantem nuntiat [vv. 903—905.]. Is patris perterritum querelis se venisse ait, earum quae esset caussa, exploratum. Conspicatus deinde Phaedrae funus, ejus quae sit ratio mortis percontatur, tacentemque patrem ut profiteatur urget et instigat [v. 919.]. Theseus, admiratus nimirum Hippolyti impudentiam, qua, cujus ipse auctor esset culpae, ejus caussam assumta innocentiae specie tanquam ignotam quaereret, in hominum genus invehitur, quod quum multarum variarumque rerum scientiam affectet, unam tamen eamque omnium summam atque utilissimam contemnat, artem sapiendi. Quae oratio quum nobis perspicua sit, obscura tamen esse Hippolyto debuit, qui quo ea tendat nesciens vera esse affirmat, quae pater dixerit, quamquam subtiles ejus disputationes praesenti rerum conditioni convenire negat. Quum vero Theseus in eandem sententiam pergat, optetque, ut signa quaedam et notae extent, quibus veri amici a caeteris destingui queant: Hippolytus se maligno aliorum dente apud patrem -arrosum esse persentiscit. Theseus, qui Hippolytum in culpa esse certissime sibi persuasit, eamque quod confiteri nolit, in animi ejus petulantia et protervitate sitam esse caussam arbitratur, ferventis irae amplius cohibendae impotens, filios patribus semper nequiores evadere, exemplo demon-

strat Hippolyti, quem ipsam matrem per vim stuprare non puduerit, quique artem virtutis simulandae ita didicerit, ut, quum turpissima moliretur, tamen castissimus appareret. Quo ut dignas scelere poenas solvat, Troezene Athenisque et ex omni terra, patri parente, a patre exterminatur. Atque hoc ipsum certissimum consilium suum, ita Sinem Scironemque occiderit, se nunquam retractaturum esse, jurat Theseus [v. 984.]. Sententiam deinde, a choro interjectam, qua nemo in his terris ab omni parte beatus esse judicatur, Hippolyti sequitur pulcerrima oratio, qua tantum abest, ut accuset novercam, ut religiosissime parcat ejus honori. Explicat autem illa cogitandi sentiendique, quam sequatur, rationem generosissimam, quae etsi non ferat, ut coram populi frequentia verba faciat, praesentem tamen calamitatem postulare dicit, ut, quae sit animi ingeniique indoles, libere profiteatur. Prodit autem, se primum quidem temperantiam exercuisse, deinde rectae deorum venerationi studuisse, tum amicos, integro pudicoque animo praeditos, sibi comparasse, denique castitatem coluisse: ita ut haud quisquam futurus esset, qui iis, quas dixisset, virtutibus ipso excelleret magis. Deinde caussas, quibus ad culpam, cujus reus videatur, contrahendam ipsum pellectum esse Theseus opinari possit, percenset, scilicet amorem eximiae Phaedrae pulcritudinis, et imperii comparandi spem: quam tamen utramque cupiditatem ab indole sua alienam esse docet. Denique innocentiam suam etiam jurejurando confirmat [v. 1038.]. Huic fidem uti habet chorus, sic abrogat Theseus, Hippolytum in persuadendo malis praestigiatoris artibus usum esse perhibens. Rogatur igitur a filio, ut, quem lectum suum attigisse

credat, non exilio eum, sed mortis poena multare velit. Frustra. Theseus, quia vitam, in exilio degendam, celeri morte longe miseriorem futuram esse censet, in consilio, semel capto, perseverat. Postquam neque caeteris, quae denuo hinc fecit filius, patris ad clementiam commovendi periculis quidquam profecit, Troezenem Athenasque tristi animo valere jubens, abit dextrorsum. Theseus, ex pulpito in proscenium regressus, in solio, ut videtur, considit [v. 1104.].

VIII. *Στάσιμον τρίτον.* Chorus etsi illud quidem se cognitum habere ait, tristitiam aerumnamque deorum cogitatione minui et elevari: omni tamen prudentia se destitui profitetur, ubi hominum fortunas consideret, quas non certa lege gubernari, sed veluti aestu quodam volvi revolvique videri. Precatus deinde deos, ut ipsi fortunam prosperam, animum curis liberum, laudem mediocrem, mores denique faciles largirentur, se amplius de salute sua securum esse negat, postquam virum generosissimum, Hippolytum, praeter spem peregrinarum terrarum hospitio patris ira commendatum viderit. Quo quidem exilio effectum esse, ut nec ipse silvas aut venandi aut Dianae laudis celebrandae caussa pervagaturus, neque virginum corona de amore ejus sibi conciliando certatura amplius esset. Deplorata deinde matre Hippolyti, quod frustra peperisset, diisque et maxime Gratiis, quod nullo scelere contaminatum illum e terra patria ejici passae essent, leniter objurgatis, adventum unius Hippolyti comitum indicat [vv. 1105—1147.].

IX. *Ἔξοδος καὶ κομμὸς δεύτερος.* Interim Neptunus Theseo, Hippolyti perniciem precato, satisfecit. — *Ἄγγελος* postquam a dextra parte ex theatro per orchestram in pulpitum ascendit, quid Hippolyto, patri morem gesturo, acciderit, exponit. Videlicet quum ille equis junctis veheretur, repente e mari taurum apparuisse, cujus mugitu expavefactos equos dominum excussisse. Cui narrationi laudes Hippolyti generositatis addit, quibus Theseo misericordiam moveri vult. Et profecto Theseus filium adduci jubet. *Ἄγγελος* vero abit dextrorsum [v. 1262.]. Choro deinde Veneris potentiam, cui, cum Amore copulatae, nemo nec hominum nec deorum resistere queat, celebranti supervenit Diana, quae postquam indolem suam aperuit, Theseo exprobrat, quod morte filii perpetrata gaudeat, quem ad celandum pudorem vitandamque ingruentem calamitatem Tartara potius, aut avis instar aëra petere oportere. Res ipsa quomodo se habuerit, quaeque caussa Phaedram ad mortem sibi consciscendam commoverit, exponit. Maxime vero reprehendit nimiam, quam Theseus iu puniendo filio ostenderit, levitatem et celeritatem, qua ductus neque argumentorum, quibus noverca privignum culpae insimulare studuisset, fidem accurate examinaverit, neque sacerdotum scientiam adierit, nec denique diei, obscura quaevis in lucem prolaturae, testimonium manserit. Haec vero crimina etsi propterea, quod Venus Hippolytum perdere voluerit, deorum autem voluntati adversari nefas sit, et ne diis quidem liceat ipsis, condonanda videantur, tamen semper et Theseo male facti conscientiam molestam, et sibi pii hominis jactu-

ram tristem fore dicit [v. 1337.]. *Κομμοί.* Nuntiat chorus, Hippolytum a servis suis adduci, morti proximum. Hic in scenam delatus credulam accusat patris crudelitatem, qua poenas omnino non debitas dare cogatur, qui semper et deos pie coluerit, et modestia prae caeteris mortalibus excelluerit: quam tamen utramque virtutem se frustra exercuisse videri. Patris deinde diras et cognatorum flagitia, tanquam mortis suae caussas, execratus, cruciantibus pungentibusque doloribus acutissimis, ut Orcus ad reliquos vitae igniculos penitus extinguendos gradus corripiat, precatur. Quum vero Dianam ex iis, quibus ab ea compellatur, vocibus praesentem adesse conjecisset, huic exponenda egregia, quam semper ab ipso nacta sit, observantia, atque ostendenda tristi, quam morte sua accipiat, jactura misericordiam concitare studet. Itaque Diana Theseo, quem facti vehementissime poenitet, et Hippolyto inter se conciliatis, hunc occidendo Veneris amasio se ulturam, aeternaeque ejus celebritati templo, Troezene condendo, ubi virgines matrimonium inturae comae partem ponant, consulturam esse promittit. Quibus dictis disparet. Hippolytus postquam Dianam valere jussit, patrique quod in ipsum peccasset, condonavit, animam efflat. Theseus, qui, quam generosum, quamque pium filium et sibi et rei publicae temeritate sua eripuerit, persentiscit, maestus redit in aedes [v. 1459.]. Chorus denique mortem Hippolyti omnes cives Troezenios maximo affecturam luctu auguratus, famam ejus constanter mansuram esse affirmat [vv. 1460—1464.].

CAPUT SECUNDUM.

De nomine fabulae deque anno quo acta sit.

I, 1. Duas Euripides fabulas, ejusdem Hippolyti nomine inscriptas, non argumento illas quidem, sed, quod recte monuit Ric. Bentlejus in Epist. ad Millium pag. 31. seq., argumenti tractandi ratione diversas, composuit: quarum altera ab altera epitheto, Hippolyto addito, distinguitur. Prior Hippolytus *καλυπτόμενος* nominatur a Polluce Onom. IX, 50., *κατακαλυπτόμενος* vero a Schol. Theocrit. II, 50. Item Stobaeus V, 16. *Ἱππόλυτον α',* et XII, 10. *Ἱππόλυτον τὸν καλυπτόμενον* laudat: id quod faciunt etiam Plutarchus, Erotianus nonnullique alii. Caussam hujus nominis F. G. Velckerus Mus. Rhen. Suppl. II, 2. p. 739. ex ipso fabulae initio desumtam esse arbitratur, cujus partem ex fragmentis sic constituit:

ΦΑΙΔΡΑ [fragm. 6.].

Οἱ γὰρ Κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
Νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις.

Quam postquam peroravit plenam libidinis orationem Phaedra, Hippolytus, pudore, ait, suffusus, caput obvolvere putandus est pallio, [fragm. 3.]

Ὦ πότνι', inquiens, *Αἰδώς, εἴθε τοῖς πᾶσιν βροτοῖς*
Ξυνοῦσα τἀναίσχυντον ἐξῄρου φρενῶν!

Ex hoc igitur memorabili indicio recte arbitratur Velckerus natam esse prioris Hippolyti *καλυπτομένου* denominationem. Simili scilicet ratione etiam in posteriori Hippolyto Phaedram prae pudore tegere caput [v. 243.], Pudicitiamque Spartae tanquam virginem, os obvolventem, repraesentari. Cf. Paus. III, 20, 10. Idem fere, quod Velckerus, nominis *καλυπτομένου* interpretandi periculum facit Ioan. Toup. ad Theocr. II, 10. Caeterae vero Gu. Canteri, Ric. Bentleji, Thom. Vartoni, Casp. Valckenarii, Sam. Musgravii eadem de re conjecturae justis destitutae fulcris sunt.

2. Discrimen porro, quod inter priorem et posteriorem Hippolytum intercedere putandum esset, recte auguratus est Valckenarius Praef. p. XX., ubi „Sed sunt, inquit, inter fragmenta prioris editionis, omissa Barnesio, quae mihi paene persuaserint, totam dramatis oeconomiam in editione fuisse secunda mutatam; in prima collocutam cum Hippolyto Phaedram, nec per interpretem, sed ipsam amorem verbis obscurioribus indicasse privigno novercam, non ab oraculo reversum Thesea, sed ab inferis reducem in scenam prodiisse; atque adeo in Hippolyto priori eandem nonnunquam rerum fuisse dispositionem, qualis multo deterior obtinet in Hippolyto Senecae; cui suspicor lectam Hippolytum Euripidis. Nec tamen impediunt ista, quominus centeni versus aut prorsus iidem in utraque fuerint editione, aut in altera, tantum hic illic voce mutata, leviter interpolati." [1]) Hactenus Vir Summus, e cujus judicio intelligitur, qua in re *τὸ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον,* quod in priori editione reprehendit didascaliae auctor, situm fuisse debeat, ni-

1) Cf. et Velcker. l. l. p. 736. seqq.

mirum in impudica et indecora Phaedrae morum descriptione: quae fecit, ut grammaticus aliquis [1]) Euripidem *τῆς ἀκολασίας καὶ ἀναισχυντίας,* cum in caeteris feminis, tum in ipsius maxime uxore Choerilla, Mnesilochi f., conspicuae, perstringendae caussa priorem Hippolytum composuisse suspicaretur: quam tamen conjecturam mero niti comoediae joco, haud inepte judicat Velckerus l. l. p. 743.

3. Alter Hippolytus in codicibus, ab Hesychio [s. v. *ἀνασειράζων.*] et Prisciano [p. 1168.] *στεφανίας* aut *στεφανηφόρος* appellatur, cujus epitheti rationem verss. 73. et 74.:

Σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου
Λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω.

contineri putat Bentlejus Opusc. 478., cui adstipulatur una cum H. Monkio et H. Bothio Velckerus l. l. p. 745. Sunt verba illa Hippolyti, quibus, statim postquam in scenam prodiit, *τὴν ἐν Ἄγραις Ἄρτεμιν* [2]) precatur, ut, quam manu ferat coronam, benevole accipiat. Quae quidem res cum Hippolytum, ut praecipuum Dianae cultorem et amasium, egregie decet, tum etiam majorem aliquam significationem accipit propter arctissimam fabulae nostrae cum Troezeniorum institutis conjunctionem [3]), e quibus coronam nuptialem nectere juvenem nefas nisi castum erat. Cf. Velcker. l. l. Aliam nominis *στεφανηφόρου* explicationem periclitatus est Valckenarius Praef. pag. XX., qui priorem Hippolytum a posteriori, additis *καλυπτομένου* et *στεφανηφόρου* epithetis, distinctam arbitratur, tanquam victam a victrice.

1) Cf. vit. Eurip. cod. Vindob. et Hafn.
2) Cf. Philoch. ap. Schol. Eurip. Hipp. v. 72.
3) Cf., quae infra pag. 35. seqq. dicemus.

Hanc tamen opinionem, licet eleganter excogitatam, omni repugnare loquendi [καλυπτόμενος=victus?] usui, in oculos incidit: ita ut, quum idem V. D. ne idoneas quidem, quibus Bentleji conjecturam destrueret, caussas protulerit, in hac lubenter acquiescamus. Caeteros, qui in scholiis ad v. 72. ejusdem epitheti interpretandi capiuntur, conatus, vix est, quod memoremus. Cf. Velcker. l. l. Sed satis dictum esto de epithetis. Quod vero aliquoties a veteribus [Eustath. ad Hom. Il. ζ', p. 489, 53. η', p. 568, 19., Schol. ad Arist. Ran. 101. Thesm. 554., Philem. lex. techn. s. v. βίβλος.] verba, ex Hippolyto vel priori vel posteriori desumta, Euripidis Phaedrae attribuuntur, eos, paullo negligentius citantes, pro Hippolyto alteram dramatis personam primariam posuisse Phaedram, consentaneum est. Neque enim aut illos scriptores aut codicem Florentinum, nomen tragoediae nostrae non Hippolyti, sed Phaedrae exhibentem, tanti facies, ut fabulae Euripideae editionem alterutram inscriptam fuisse Phaedram arbitreris [1]).

II. De anno, quo doctus sit ab Euripide Hippolytus, certum extat antiquitatis testimonium, quod licet non haberemus, tamen ex multis dramatis nostri sententiis satis firma fieri posset conjectura, actam esse fabulam anno Periclis emortuali, cujus obitus saepenumero [2]) a poëta tecte significatur. Vid. Aug. Boeckh. de gr. tr. pr. pp. 181. 184., cujus vestigiis insistit H. Zirndorfer. de chronol. fabb. Euripid. p. 26. Obiit

1) Errat sine dubio cum Ed. Fr. Osanno [ad Philem. l. l.] Monkius, qui [in Addend. ad Eurip. Hipp.] Phaedrae nomine inscriptam fuisse a poëta priorem, Hippolyti posteriorem fabulae editionem conjicit.

2) cf. e. g. v. 1459. seqq.

autem Pericles Ol. LXXXVII, 4. [1]), de cujus anni archonte magna in veterum libris scripturae discrepantia est: quandoquidem eum didascaliae auctor Aminonem, Athenaeus lib. V, cap. 18. Epaminonem, Diog. Laërt. III, 187. Aminiam, Diod. Sic. lib. XII, cap. 46. Epaminondam appellat. Jam vero quum apud Diodorum, cujus haec sunt verba: „ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Ἐπαμινώνδου [2])“ pro Ἐπαμινώνδου vel ἐπ' Ἀμεινίου vel ἐπ' Ἀμείνονος sine molestissimo pleonasmo rescribi nequeat, in didascalia autem Ἐπαμείνονος pro ἐπ' Ἀμείνονος — id quod etiam monuit Lud. Dindorfius — facillima emendatione restitui possit: archontis nomen Epaminondam aut Epaminonem potius, quam Aminiam aut Aminonem fuisse probabile fit. Petr. Vesselingius [3]), cui adstipulatur Ed. Corsinus Fast. Att. Tom. III. p. 231., verum archontis nomen Epaminondae fuisse existimat, Epaminondam cum Epaminone eundem demonstrans. Denique in terminatione — ώνδας, Thebanorum magis, quam Atheniensium linguae indolem referente, non anxie haerendum esse, comparato Chaerondae, Ol. XC, 3. Fastis Atticis inscripti, nomine docet Corsinus l. l. Fuit igitur Ol. LXXXVII, 4. i. e. a. a. Chr. n. 428. Athenis archon Epaminondas sive Epaminon. Quo auspice quod institutum sit certamen dramaticum, in eo Euripidem, superatis Ione et Iophonte, primas tulisse Hippolyto, scriptor didascaliae tradit.

1) cf. Thuc. II, 65., Diod. XII, 46., Athen. lib. V, cap. 18. p. 217., Diog. Laërt. vit. Plat. lib. III, p. 187.

2) Unus Laurent. XII. Ἐπαμεινώνδου.

3) ad Diod. l. l.

CAPUT TERTIUM.

De partium fabulae compositione.

I. Artificium poëtae, in persequenda fabulae ratione conspicuum.

1. Notum est aesthetices praeceptum, quo unumquodque opus, ad artis normam compositum, ut simplex sit et unum postulatur. Quae lex cum tota legum regularumque copia hoc commune habet, ut, si recte intelligitur suisque adhibetur conditionibus, vera sit et necessaria, sin temere sineque judicio usurpatur, falsa et absurda. Prudenti igitur artis monumentorum interpreti hoc potissimum propositum erit, ut, qua in re cujusque operis quaerenda sit unitas, circumspiciat. Dramatis indoles — ut ad id artis genus transeamus, e quo exemplar nobis unum considerandum est — actione continetur, at summa notio idea, illi subjecta actioni, consistit. Actio quidem difficultatem et nodum, idea finem et consilium dramatis continet, illa magnitudine, haec veritate excellit, spectatorum animos altera attentos, et inter spem metumque suspensos reddit, corrigit altera et emendat. Quid ergo? Actione, an idea dramatis una esse debebit? Mea

sententia et difficultatem, et magnificentiam, et vero auditorum mentes devinciendi vim continere ea tantum actio jure dicetur, cui cum altera, sibi contraria, pugnandum conflictandumque sit. Haec enim summa est agendi notio, ut contra vim aliquam agatur inimicam. Unde actionis dualem quandam naturam esse apparet, profecto ut absurda sit eorum sententia, qui actio fabulae ut una sit requirunt. Idea potius, quae cuique inest actioni, una esse talisque debet, ad quam partes dramatis omnes ac singulae apte referantur. Haec igitur etiam in nostra fabula indaganda, eaque qua arte intexta sit primariarum tragoediae personarum actionibus, videndum est.

2. Agunt autem primarias dramatis nostri partes Hippolytus et Phaedra. Hippolyti mores tantum non ad unguem descripsit poëta. Inducitur soli Dianae studio addictus [cf. vv. 15. 16. 1095. seq.], pertinax Veneris osor et contemtor [cf. vv. 13. 112.], quem unice juvent silvae et stadium [cf. vv. 17. seqq. 52. 108. 111. 1020.], qui spernat, quae dedeceant hominem, indigna viro sint [v. 987. seqq.], qui stet promissis [vv. 653. seqq. 1304.], nihilque faciat, nisi quod suadeant ratio et pudor [vv. 999. 1102.]. Animi igitur integritas, constantia, temperantia primariae virtutes sunt, e quibus conflatam et effectam vides magnificam Hippolyti imaginem [cf. vv. 79. 999. 1011. 1293. 1362. 1388. 1400. 1417. 1452.]. At nulla ullius tragoediae persona sine macula aut est aut esse debet [1]. Idem ergo Hippolytus, quum Dianae justa exequatur [v. 72. seqq.], negligit, imo deridet Vene-

1) cf. Aristot. de art. poët. cap. 13. §. 3.

ris sacra [vv. 101. 103. 105.], quum verecunde parcat novercae honori [v. 1036.]; sibi inservit ipse, suoque indulget feminarum odio [v. 660.], quum modestiam colat [v. 999.], ipsius divinae sapientiae instituta reprehendere et castigare audet [v. 612. seqq.]. Nihilominus vero admirandae sunt ejus animi magnitudo et generositas, quam utramque virtutem morte sancire, quam vita violare mavult [vv. 1294. 1388.]. Parant autem ei obitum implacabile, quod contraxit, Veneris odium, scelestus, quem horret, Phaedrae in ipsum amor, importunum nutricis erga heram studium, denique temeraria Thesei credulitas: quae cuncta faciunt, ut, quum imprudenti patri nefaria culpa mortem meruisse videatur, a sciente Diana tanquam *μάρτυρ τῆς τ'εὐγενείας καὶ σωφροσύνης* interire judicetur [vv. 1388. 1400.]. Cf. F. G. Velcker. Mus. Rhen. a. 1839. Suppl. II, 2. p. 746. Michaël. Arnold. Racin. dans les Mémoires de Litterature de l'Acad. Royale des Inscript. Tom. VIII. pp. 300-314.

3. Hippolyti ingenio adversis frontibus oppositam Euripides finxit Phaedram. Quod alter amplectitur, spernit altera, quod ille odit, haec diligit, denique quam ille admirationem, eandem haec movet misericordiam. Amat noverca privignum, nec tamen audet profiteri amorem, tabescit morbo [vv. 130. 179. 199.], nec aperit ejus caussas [vv. 244. seq. 273.], spernit cibos [vv. 134. seq. 275.], vitat hominum coetus [v. 132.], solaque in morte aerumnae ipsius levamentum situm esse perhibet [vv. 138. 277. 403. al.]. Scit, quo ingenti crimine inquinatum ipsius pectus sit [vv. 317. 323.]: omnia igitur remedia quaerit adhibetque amoris [v. 394. seqq.]. Sed frustra. Gliscit affectus,

crescit cupido: invita ipsa excidunt morbi confessio nomenque auctoris [v. 351.]. Nutricem deinde, explorandum esse dictitantem, utrum dominae amori respondeat Hippolytus, necne, reprehendit acerbe: cedit tamen urgenti ei et prementi sic, ut amoris philtro compescendi rationem [vv. 480. 811.] admittat: modo ne quid aperiatur privigno [v. 522.]. Verum postquam nutrix nihilominus, pro turpi ipsius ac servili animo, prodere Hippolyto Phaedrae curam non erubuit [vv. 585. seqq. 592.]: haec vitam, quam honeste peragere nequeat, voluntaria morte finire, certissime apud animum suum constituit [v. 595.]. Attamen quum committere non possit, ut falsa suspicione vel ipsius vel liberorum fama commaculetur [vv. 684. 714.]: culpae speciei, mendacium praeferens, priusquam sibi mortem consciscat, relictis litteris [vv. 881. seqq.] Hippolytum stupri, violenter sibi intentati, insimulat. Quod ipsum mendacium videatur sane libero homine haud dignum esse caedis defendendae deverticulum: verumtamen, id quod apte attulit Velckerus l. l. p. 746., instrumentum mortis in censum venire nequit, comparatum cum morte ipsa, cujus excusandae rationem praeter eam, quae ineatur [1]), vel maxime quaeritur, num alteram quandam reliquerit necessitas.

4. Adumbrata jam utriusque et Hippolyti et Phaedrae indole, nemo dubitare potest, quin *ille quidem rationis et temperantiae, haec vero libidinis et affectus agat partes*: ita ut tragoedia ipsa *fatalem rationis cum libidine, temperantiae*

1) Justo severius de hoc mendacio judicat O. F. Gruppius Ariadn. pag. 390.

cum affectu [1]) conflictionem proponere videatur. Duae igitur, secum pugnantes, dramati insunt actiones, in quibus tamen duabus una tantum eademque latet idea. Quo vero modo? Nimirum amplectitur Phaedra flagrantissimo amore privignum: unius Dianae venerationi deditus spernit Venerem Hippolytus. Quid? Nonne uterque peccat? Procul dubio. Etenim Hippolytus non minus, quam Phaedra, praecepta migrat *τῆς σωφροσύνης:* qua virtute uterque, quum sibi praeditus esse videatur [cf. vv. 1037. 1038.], carere tamen reapse judicatur alteri. Cf. vv. 663. 728. Nec immerito. Uti enim Phaedra prae nimio amore perit, sic Hippolytus prae nimio amoris odio, sive prae nimia verecundia [cf. vv. 1294. 1388. 1400. 1417.] occumbit [2]): ita ut in eum cadere videantur, quae canit Flaccus [3]):

Insani nomen sapiens ferat, aequus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.

Voluit igitur Euripides Hippolyti et Phaedrae exemplo monere Athenienses, ne nimii essent in agendo, finesve recti transgrederentur: quacum incontinentia comparatam moderationem dignis extulit laudibus.

v. 264. seqq. *Οὕτω τὸ λίαν ἧσσον ἐπαινῶ*
Τοῦ μηδὲν ἄγαν,
Καὶ συμφήσουσι σοφοί μοι.

v. 433. seq. — *τὸ σῶφρον ὡς ἁπανταχοῦ καλὸν,*
Καὶ δόξαν ἐσθλὴν ἐν βροτοῖς κομίζεται.

---

1) [tanquam Dianae cum Venere]

2) Cf. et Epigramma Anthol. Gr. I, 78, 2., prioris Hippolyti fragm. XVII., auct. didasc. [ἣ, sc. *Ἀφροδίτη, τὸν Ἱππόλυτον διὰ σωφροσύνην ἀνελεῖν κρίνασα κτλ.*], Auson, Idyll. XV, 25.

3) Epist. I, 6, 15. seq.

v. 920. seqq. *Ὦ πολλὰ μανθάνοντες ἄνθρωποι μάτην,*
Τί δὴ τέχνας μὲν μυρίας διδάσκετε,
Καὶ πάντα μηχανᾶσθε, κἀξευρίσκετε,
Ἓν δ' οὐκ ἐπίστασθ', οὐδ' ἐθηράσασθέ πω,
Φρονεῖν διδάσκειν, οἷσιν οὐκ ἔνεστι νοῦς;

Cf. vv. 1112-1118.

5. Hinc intelligitur, omnes tragoediae nostrae partes ad unum quasi finem coalescere, et, quamvis diversa et disparata videantur singula, uno tamen consensu conspirare cuncta: profecto ut calidius judicare censendus sit O. F. Gruppius [1]), qui Ariadn. pag. 388. tres fabulae nostrae inesse dicit actiones, easque tam inter se discrepantes et dissimiles, ut consociari apte non possint. Quarum primam quidem cerni ait in ira, qua contemta contemtorem persequatur dea, alteram in Phaedrae persona, quae ab eodem numine ad flagitium invita rapiatur ipsa, tertiam in innocentis juvenis exitio, qui, licet incestum impudicae mulieris amorem abominatus, pravissimis tamen artibus nefarii speciem facinoris in se recipere cogatur. Quod tandem, obsecro, mirum hoc est studium discernendi ea, quae arctissimo ligata vinculo continentur? Quas enim secundo et tertio loco fabulae nostrae inculcatas esse dicit actiones, earum alteram cum altera uti conflictari concedimus, sic infixae utrique notionis unitate conjungi pag. 23. seq. ostendimus. Quod autem deinde ad Veneris iracundiam attinet, ea quoque tantum abest, ut extra fabulae nexum collocata videatur, ut cum dramatis ipsius pars sit neces-

---

1) Disputat contra Gruppium etiam H. Zirndorfer. de chronolog. fabb. Eurip. p. 24. seqq., sed non satis accurate. Cf. et F. G. Velcker. l. l. pag. 746.

saria, tum tragici ejus argumenti effectrix gravissima. Nam neque Hippolytus, neque Phaedra interiret, nisi irata esset Aphrodite. Verum nec irasceretur Aphrodite, nisi ab Hippolyto esset contemta. Hippolytus autem Aphroditen non contemneret, nisi, ut ita dicam, totam ipsius pietatem Diana devorasset. In hoc igitur pugnantium inter se pietatis, quae Dianae et quae Veneri debetur, officiorum conflictu interit princeps tragoediae persona, qui unus est Hippolytus: cujus mortis nullam proinde veriorem statueris caussam, quam excelsae illius, qua suos quodque numen honores vindicat [1]), nunquam impune mortalibus violandae, legis ultricem potestatem. „At, quaerit Gruppius, si Hippolytum propter denegatas sibi caerimonias punire vult Aphrodite: quo tandem consilio Phaedra in exitii societatem trahitur invita? Cur ad perdendum privignum simul etiam opus est novercae interitu?“ Tales vero quaestiones superfluae sunt et inutiles, quoniam nihil iis proficimus. Omnino enim Poena ad ulciscendam Hippolyti impietatem instrumento eget: qua cur Phaedrae persona utatur [2]), indagare non attinet. Praeterea—id quod recte contra Gruppium monuit H. Zirndorfer. de chronol. fabb. Eurip. p. 25. — non curant dii, quales Euripides finxit, innocentis hominis interitum [cf. vv. 47 — 50.]: modo consilii compotes fiant sui, efficiantque, ut ipsorum metuatur colaturque potentia [cf. vv. 7. 8.]. Denique Phaedra ne innocens quidem obit. Profecto enim, uti Hippolytus superbiente virtute [cf. v. 6.] mo-

1) cf. vv. 92. 106. 5. 6. 7. 8.
2) cf. vv. 24. seqq.

destiae praecepta migrat, sic Phaedra fines, hominum amori praescriptos, egreditur: quam ad culpam quod externa quadam potestate cogi, non sua sponte moveri videatur, nil interest ejus, qui e poëtico cogitationis involucro cogitationem ipsam eruturus est.

6. Disputandum nunc est de caeteris tragoediae nostrae personis. Ac Theseus quidem et nutrix quantopere necesse fuerit ut inducerentur, in aprico est. Hae enim personae totam dramatis ad finem perducendi molem sustinent, tristisque ejus eventus subsidia tanquam et instrumenta sunt. Peccat autem earum utraque: Theseus in Hippolytum, in Phaedram nutrix. Utriusque tamen peccatum quoniam fatalem earum, in quas commissum est, personarum sortem maturat: haud paullum confert ad hanc ipsam divina quadam magnificentiae et majestatis specie ornandam. Nutrix humili ac servili fingitur ingenio: ita ut nullam pravitatem exercere erubescat, qua amissam Phaedrae animo hilaritatem redditum iri speret. Sollicita ejus et importuna loquacitate, qua dominae non verbo quidem, at menti obtemperare sibi videtur, Hippolytus conscius fit nefarii Phaedrae erga se amoris, quo spernendo et Phaedram perdit, et sibimet ipse perniciem parat. Theseus plenus sinceri erga conjugem amoris, celer in agendo, id, quod semel constituit, retractare nescius describitur. Qui quamvis cautae in puniendo Hippolyto prudentiae a choro admoneatur [v. 895. seqq.], uxoris litteras, quam filii preces et obtestationes pluris aestimans, huic exitium precatur, diei, omne scelus aperientis, non mansurus testimonium. Obliviscitur igitur Theseus, prae nimia erga uxorem pietate atque fide, pietatem et fidem filio praestare:

obliviscitur nutrix, prae nimia herae salutis cura, curam de ejus existimatione adhibere: ita ut harum quoque personarum indoles summo, quod supra pag. 23. significavimus, fabulae nostrae consilio convenienter ficta esse videatur.

7. Accedimus ad repraesentandam Dianae et Aphroditae personam. Videtur autem poëta, uti Phaedrae Hippolytum, sic Dianam opposuisse Aphroditae. Comparet Diana, postquam Hippolytum ab equis consternatis raptatum esse innotuit, ejus innocentiam Theseo monstratura. Hanc deam ad solvendum nodum *ἐν τῇ τοῦ δράματος ἐξόδῳ* inducere poëta — quamquam ut cogeretur, committere non debebat [cf. Grupp. Ariadn. pag. 391. seq.] — coactus tamen erat duplici, quo Hippolytum [vv. 653. 1300. 1304.] et chorum [vv. 710. 711.], solos illos superstites Phaedrae sceleris testes [1]), aeternum de eo silentium polliceri finxerat, jurejurando: quae caussa fuit, cur nemo mortalium Thesea impedire posset, quominus Hippolytum et infandae, cujus a noverca accusaretur, culpae reum, et paratam ipsi a Neptuno mortem meritum esse crederet. Hoc errore ut liberaret Thesea, nec non ut Hippolyto indignissimae, quam subiisset, fortunae remunerationem quandam praeberet, Diana profecto sub finem fabulae personam induere debuit. „At, dixerit quispiam, quidni, priusquam Venus consilii sui compos facta sit, ejus iram Diana irritam reddit? Quidni, donec licet, auxilium fert amasio? Quidni denique, antequam Theseus Hippolytum devoveat, eum de vero

1) Nutrix enim ante Thesei reditum aedes regias reliquerat. Cf. v. 705.

rerum statu edocet, edoctumque, ne diras ad Neptunum fundat, prohibet? Respondet poëta ipse v. 1323. seqq.:

Κύπρις γὰρ ἤθελ᾽ ὥστε γίγνεσθαι τάδε,
Πληροῦσα θυμόν. θεοῖσι δ᾽ ὧδ᾽ ἔχει νόμος·
Οὐδεὶς ἀπαντᾶν βούλεται προθυμίᾳ,
Τῇ τοῦ θέλοντος, ἀλλ᾽ ἀφιστάμεσθ᾽ ἀεί [1]).

Postquam igitur Diana et Phaedrae culpam, et Hippolyti innocentiam Theseo declaravit: hunc cum propter nimiam in agendo celeritatem reprehendit, tum eundem, filio et uxore orbum, miseratur et consolatur, quippe qui, a divino numine deceptus, aliter, atque egerit, agere non potuerit.

v. 1404. *Ἐξηπατήθη δαίμονος βουλεύμασιν.*
v. 1284. — *φανερὰν δ᾽ ἔσχεθες ἄτην.*

Quid? quod etiam fas esse dicit deo hominem auctore peccare v. 1431. seq.

— *ἀνθρώποισι δὲ,*
Θεῶν διδόντων, εἰκὸς ἐξαμαρτάνειν.

Haec simul caussa extat, cur nec Phaedram vituperandam censeat, utpote quae, Venere machinante, ad flagitium tracta sit et ipsa.

v. 1296. seqq. *τῆς γὰρ ἐχθίστης θεῶν*
Ἡμῖν, ὅσαισι παρθένειος ἡδονὴ,
Δηχθεῖσα κέντροις, παιδὸς ἠράσθη σέθεν.

1) Cf. Ovid. Metam. lib. III. vv. 336. 337. 338.:
At pater omnipotens [neque enim licet irrita cuiquam
Facta dei fecisse deo] pro lumine ademto
Scire futura dedit.
lib. XIV, v. 783. seqq.:
Sola Venus portae cecidisse repagula sensit,
Et clausura fuit; nisi quod rescindere nunquam
Dis licet acta deum.

Uti Diana ab Hippolyti, sic a Phaedrae partibus stat Aphrodite: quam deam cur poëta inducere debuerit, jam supra pag. 25. seq. est significatum. Fert enim deorum antiquorum natura, ut, a quibus pie colantur [1]), eos colant et ipsi, a quibus autem superbe contemnantur, eos fallant perdantque. Hujus tanquam legis sive normae, quam, negligendo Veneris cultu, impie laeserit Hippolytus, patronam Euripides ipsam finxit offensam deam, quae quomodo in irrisorem suum animadversura sit, statim in prologo satis aperte profitetur:

v. 5. seqq. *Τοὺς μὲν σέβοντας τἀμὰ πρεσβεύω κράτη,*
Σφάλλω δ', ὅσοι φρονοῦσιν εἰς ἡμᾶς μέγα.
Ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν γένει τόδε,
Τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.
Δείξω δὲ μύθων τῶνδ' ἀλήθειαν τάχα.
Ὁ γάρ με Θησέως παῖς, κτλ

8. Superest, ut de **choro** et de **comitum**, quibus stipatus Hippolytus in scenam prodit, corona dicatur. Atque hi quidem vide quam apte inducti sint. Uti enim chorus, quippe qui e mulieribus constet, Phaedrae magis, quam Hippolyti sortem ad se pertinere putat: ita hujus comites, quum in ipso dramatis limine impiam heri superbiam [cf. v. 82.] reprehendant, qua motus Dianae faciat sacra, deneget Aphroditae, statim ab initio ad legem illam, quae pari honore singulos haberi deos jubeat [cf. v. 106.], auditorum animos advertunt, metuque eos de Hippolyti fortuna imbuunt: quam proinde, etiam postquam mortua est Phaedra, eo majori anxietate et sollicitudine

---

1) cf. Ovid. Met. lib. VIII, 724.:
Cura pii dis sunt, et, qui coluere, coluntur.

prosequuntur, quo tristiorem eam evasuram esse persentiscunt. Cf. Velcker. l. l. pag. 747.

Chorus denique, qui jurisjurandi religione, qua de Phaedrae culpa se in perpetuum taciturum esse promisit, agendi libertatem, divinam istam naturae nostrae particulam, sibi demi passus est, nihil fere aliud, quam probat et improbat, quae aguntur [cf. vv. 484—437. 721. 895.], celebrat Amoris et Veneris potentiam, utriusque et Hippolyti et Phaedrae obitus auctorem [cf. vv. 527. 762. 1263.], laudat *σωφροσύνην* [cf. vv. 433. 434.] et mediocritatem [cf. vv. 531. 1112—1118.]. Simul tamen etiam aegrotam miseratur Phaedram [vv. 120. seqq.], perfidam increpat nutricem [cf. vv. 587. 591.], infelicem consolatur Thesea [cf. v. 835.], denique insontem deplorat Hippolytum [cf. vv. 1120. 1460.]: facile ut intelligas, chorum vim quandam esse, ab omni et errore et partium studio alienam, quae cum inter importunam Thesei credulitatem et nutricis loquacitatem, tum inter impium Hippolyti fastum et Phaedrae furorem judex sedeat aequa et justa.

9. De **serva**, vv. 775—789. Phaedram suspendio vitam finiisse indicante, non est, quod moneatur. **Nuntium** vero, qui inde a v. 1148. Hippolyti obitum enarrat, domini casu gravissime commotum, fidelissimoque erga eum amore plenum finxit poëta.

II. De Fati notione, in Euripidis Hippolyto expressa.

Fatum plerumque ea fingitur potestas, quae tanquam pariat drama [1]), in eoque dominetur potissi-

---

1) Intelligimus autem, ubi simpliciter drama dicimus, *δρᾶμα τραγικόν*.

mum. Sed haec quidem sententia cum per se vaga est et indefinita, tum, quid cuique singulare obtigerit tragoediae, continere nequit. Nihilominus tamen negari non potest, partes Fati majores in hac, minores in illa fabula esse videri. Quid? quod aliqua ejus vis in omni dramate appareat necesse est, quia, quidquid fit, deorum, qui Fato parent et ipsi [1]), fit voluntate. Sic nec in nostra fabula non apparet Fati potestas, imo hac ipsa coactus et Theseus ita, ut agit, agere debet [cf. v. 1404.], et Phaedra intereat opus est, tanquam cui parcere ad ulciscendum Hippolytum non possit Aphrodite [cf. vv. 47—50. 241. 337. 339. 341. 343.]. Amor porro, quo amplectitur privignum, non sponte conceptus, sed a Venere injectus, ipsaque auctore nutritus et in immensum auctus fingitur [cf. v. 26. seqq.]. Sane lubenter profiteor, Phaedrae obitum fatale quid habere: unde etiam magna, qua eum prosequi spectatores debent, misericordia proficiscitur. Sed quidni domat incestum amorem? Aut quidni alto eum pectore premit? Denique, si sine eo vivere non potest: quidni cum eo, quam evulgato ejus furore, mortem oppetere mavult? Efficitur igitur etiam Phaedrae interitus communi hominum imbecillitate, qua congregatur illa nubes calamitatis, quae totam obruit domum principalem.

1) Cf. Bern. Alb. Toepelmann. Comm. de Aesch. Prom. pag. 50. seq.

CAPUT QUARTUM.

De mytho.

I. Mythi enarratio.

1. Hippolyto qui parentes [1]) fuerint, qui mores [2]), denique qui vitae exitus [3]), enarrant simpliciter Ovidius Metam. lib. XV, vv. 479—532. [Fast. lib. III, v. 265.] et Hyginus fab. XLVII. [4]), *πραγματικῶς* expo-

1) De Theseo, Hippolyti patre, mythographi veteres uno ore consentiunt omnes: de matre non item [cf. Diod. IV, 28.], quam Clidemus apud Plut. Thes. 27., Ister ap. Athen. XIII. p. 557. A., Zopyrus l. l., didascaliae auctor, Servius ad Virg. Aen. VII, 761., Pomponius Sabinus ibid. Hippolytam, Plutarchus vero ipse, Schol. ad Hom. Od. λ', 320., ad fab. nostr. 579., Tzetzes ad Lycophr. 1329., Seneca Hipp. 226., Hyginus fab. 250. Antiopam appellant.

2) Cf. de Hippolyti, mysteriis Eleusiniis initiati [Ovid. Her. IV, 67.], *σωφροσύνῃ* Eur. pr. Hipp. Fragm. 17., Diod. IV, 62., Xen. de Venat. I, 11., Epigr. Anthol. Gr. I, 78, 2., Phil. vit. Apoll. Tyan. VI, 3. p. 232., didasc. auct. v. 10. ed. H. Monk., Auson. Idyll. XV, 25.; de ejus erga Dianam studio Paus. II, 32, 2., Seneca Hipp. 54. seqq., Lact. Plac. XV, 45., et in Venerem odio Prop. V [IV], 5, 5., Seneca l. l. 231. 907., Stat. Achill. II, 156.

3) Cf. de Phaedrae erga privignum amore praeter auctores, supra laudatos, Ovid. Her. IV., atque de tribus optatis, Theseo a Neptuno datis, quorum uno perit Hippolytus, Cic. de Off. I, 10, 32; III, 25, 94; de Nat. Deor. III, 31, 76.

4) Hygino debent praeter Hippolytae nomen fere omnia, quae ad Virg. l. l. commentati sunt Servius et Pomp. Sabinus.

nunt Diodorus lib. IV, cap. 62. et Zopyrus ἐν γ' Θησηΐδος ap. Stob. LXIV, 38., memorant obiter Pausanias lib. I, cap. 22. [lib. II, cap. 32.] et Virgilius Aen. lib. VII, vv. 765—767.: quorum singula deinceps testimonia recensere longum est, et a consilio nostro alienum.

2. Nos ad famam de Hippolyto ex inferis revocato examinandam properamus, cujus vestigia, hic illic sparsa, colligentes viam nobis munire videmur ad totum, qui de illo traditur, mythum et cognoscendum plenius, et accuratius aestimandum. Profecto enim Hippolyti ex inferis resuscitationem partem fabulae ita necessariam esse arbitramur, ut sine illius fulcro tota corruerit, eamque qui ex hac sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse dicendus sit.

Horatius igitur quod Od. lib. IV, 7, 25. 26. scribit:

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.

profecto mire scribit. Nam quod nos potissimum persequimur et urgemus, id quum factum esse neget, disputationi nostrae statim ab initio propemodum cursum praeciderit tanta sua auctoritate. Sed, quaeso, cur negat? Nimirum quia, si non negasset, tota, quam isto loco exhibet, argumentatio concidisset. Quum enim l. l. id ageret, ut, semel mortuum nulla omnino potestate in vitam revocari posse, exemplis demonstraret: eam quidem demonstrationem destructurus esse Hippolytus videbatur, quem a nonnullis ad superos rediisse tradi, bene meminerat. Coactus igitur hanc famam fini, quem sequebatur, prorsus contrariam repudiare, alteram, celebratam, opinor, et ipsam,

sed, ut corpore, sic sensu mancam, temperi recordatus in rem suam convertit: utrum ea plenam quandam et accuratam interpretationem admitteret, necne, tanto securior, quanto certius est, subtiliorem vetustarum fabularum cognitionem, quae, non contenta ineptiis mythicae, in iis expressae, superstitionis, subliniorem inde, sive physicam, sive ethicam, notionem elicere studeret, ipsius aetate dudum evanuisse, nec nisi in eruditioribus nonnullis hominibus perdurasse. Quae quum ita sint, ex Horatii versibus illud quidem jure colligetur, praeter eos, qui Hippolytum ad superos rediisse proderent, fuisse quoque, qui id factum negarent: quorum narrationem quod l. l., spreta altera, poëta in partes vocavit, libertate usus est, omnibus concessa poëtis, diversas veterum mythorum formas e diverso consilio suo adhibendi. Nec tamen istorum famam prudens statueris etiam ex animi sententia Horatium pro vera aut integra amplexum esse, quem potius quum reconditum aliarum fabularum [1]) sensum apertissime declarare videamus, probabile est nostri quoque mythi vim et notionem accurate perspexisse, probeque scivisse, ad eum penitus intelligendum requiri, ut mortuus Hippolytus revixisse crederetur.

De Horatio satis dictum esto: ad Euripidem regredimur. Apud quem Hippolyto, animam agenti,

---

1) Cf., si placet, Od. I, 12, 25—32., ubi maris aestum, Dioscurorum desaevientem nutu, ita describit, ut non possit non certam quandam physicam notionem, in Polluce et Castore latentem, — ea quae sit, disce ex I. C. S. Schweiggeri egregio libro „Einleitung in die Mythologie auf dem Standpunkte der Naturwissenschaft. Hal. 1836. 8.“ p. 293. — optime cognitam et perspectam habuisse.

futurorum interpres pollicetur Diana, se mortui memoriam sancturam lege esse, qua virgines Troezeniae, priusquam matrimonium ineant, comae partem in templo, amasii honori dedicando, ponere cogantur; simulque virtutis ejus famam continua immortalium carminum serie propagatum iri praedicat [1]), de Hippolyto tamen ex inferis revocando ne verbum quidem addens. Euripidis exemplum secutus Seneca quoque in tragoedia sua Hippolyti ex inferis resuscitationem silentio praeteriit, non quasi ejus ignarus fuisset, sed, ni fallor, quia tragoediae eam consilio reluctari existimavit: quod idem valet etiam de Euripide, qui quid de Hippolyto sentiat, satis perspicue aperit honoribus illis, quos amato puero a Diana decretos esse testatur, quosque dei venerationi, quam hominis memoriae celebrandae, magis convenire manifestum est.

3. Ne autem famam istam, qua Hippolytus ad superos reductus esse fertur, demum post Euripidis aetatem a recentioribus inventam esse dicas: respicit eam vetustissimi Naupacticorum scriptoris testimonium, servatum illud ab Apollodoro, cujus haec ecce verba lib. III, 10, 3.: *παρὰ γὰρ Ἀθηνᾶς λαβὼν* [sc. *ὁ Ἀσκληπιός*] *τὸ ἐκ τῶν φλεβῶν Γοργόνος ῥυὲν αἷμα, τὸ μὲν ἐκ τῶν ἀριστερῶν ῥυὲν, πρὸς φθορὰν ἀνθρώπων ἔχρητο· τὸ δὲ ἐκ τῶν δεξιῶν, πρὸς σωτηρίαν· καὶ διὰ τούτου τοὺς τεθνηκότας*

---

1) Ratum facit hoc vaticinium Pausanias, enarrans ille libr. II, cap. 32. §. 1., Diomedem Hippolyto Troezene et templum statuamque dedicasse, et sacrificatum esse primum, deinde vero ipsos Troezenios sacris anniversariis Hippolytum coluisse, virginesque sanctissima comae partis ante nuptias ei consecrandae religione obstrinxisse. Quam quidem religionem, primum puellis impositam, post etiam juvenes tenuisse, tradit auctor de Syria dea inter Lucianeos Tom. III. pagg. 489. 490.

ἀνήγειρεν. εὗρον δέ τινας λεγομένους ἀναστῆναι ὑπ' αυτοῦ Καπανέα καὶ Λυκοῦργον· ὡς δὲ Στησίχορός φησιν, Ἐριφύλην· Ἱππόλυτον, ὡς ὁ τὰ Ναυπακτικὰ συγγράψας λέγει. Quem locum corruptum esse, optime perspexit Ch. G. Heynius in Annott. ad l. l. tom. II. pag. 702., cujus fere haec est disputatio. Extant, ait, duo scholia, quorum alterum ad Pind. Pyth. 3, v. 96., alterum ad Eurip. Alc. v. 2. legitur, utrumque vero his conceptum verbis est: *Στησίχορος δὲ ἐπὶ Καπανεῖ καὶ Λυκούργῳ* [int. *λέγει, ὅτι αὐτῷ ἀνέστησεν ὁ Ἀσκληπιός*]. Quod si verum est, uti verum esse duorum Scholiastarum innuit consensus, Apollodori locum, quo Stesichorus non de Capaneo et Lycurgo, sed de Eriphyle, ab Aesculapio resuscitata, testis affertur, labem contraxisse manifestum est. Quae ipsa quomodo sanari debeat, docet Sext. Empir. adv. Mathem. I, 12., ubi *Στησίχορος μὲν*, ait, *ἐν Ἐριφύλῃ εἰπὼν, ὅτι τινὰς τῶν ἐπὶ Θήβαις πεσόντων ἀνιστᾷ.* Unde nostrum locum sic mutandum esse recte conjecit V. D.: *ἀναστῆναι ὑπ' αὐτοῦ Καπανέα καὶ Λυκοῦργον, ὡς Στησίχορός φησιν ἐν Ἐριφύλῃ.* Sed hac emendatione nondum contentus, etiam quae sequuntur verba dubitatione vexavit. Primum enim Euripidis scholion, quod famam de Hippolyto, ex inferis reducto, ad Apollodorum auctorem referat, efficere dicit, ut verba: „*Ἱππόλυτον, ὡς ὁ τὰ Ναυπακτικὰ συγγράψας λέγει.*" suspecta habeamus. Est autem ejus haec, opinor, ratiocinatio. Quum Apollodorus famam istam a Naupacticorum scriptore proditam esse testetur, Scholiasta quoque eandem se eidem debere dicat necesse esse. Quod quidem cur facere debuerit, non assequor. Quidni enim Scholiasta, quum narrationem aliquam de Hippolyto resuscitato in Apollodoro se legere memi-

nisset, ita, ut dixit, dicere potuit? Sed, quod Heynius fieri oportuisse innuit, id fortasse ne potuit quidem. Etenim procul dubio Naupactica Scholiastae tempore dudum interierant, ut nequiret, quo rem confirmaret, ad eorum testimonium provocare. Provocavit igitur ad Apollodorum, unde is illam didicisset, omnino securus. Sed est etiam alia caussa, quamobrem Heynius Apollodori verba impugnanda censeat. Neque enim se intelligere dicit, quomodo in Naupacticis, quibus multa de Aetolia et Echinadibus occurrisse [cf. ejus Annott. tom. I. p. 506.] probabile sit, Hippolyti mentio fieri potuerit. Quare, verbum *Ἱππόλυτον* alieno loco insertum putans, totum locum sic refingit: *ἀναστῆναι ὑπ' αὐτοῦ Ἱππόλυτον. Καπανέα δὲ καὶ Λυκοῦργον, ὡς Στησίχορός φησιν ἐν Ἐριφύλῃ καὶ ὁ τὰ Ναυπακτικὰ συγγράψας λέγει.* Verum eam admodum audacem esse conjecturam, quae conjecturae superstruatur, unusquisque videt. Qua careri posse, ut demonstremus, veterum quae restant de carmine Naupactico testimonia perlustranda sunt, videndumque est, factamne prodant in eo Hippolyti mentionem, necne. Jam vero Pausanias lib. X, cap. 39. §. 11. carmen Naupacticum a plerisque ad hominem Milesium [1]) auctorem referri testatur, a Charonte Lampsaceno ad Carcinum. Charonti, qui c. Olymp. LXIX. floruit [2]), Pausanias adstipulatur ipse, caussamque addit hanc, quod omnino improbabile sit, carmina, ab homine Milesio in feminas facta, nomen Naupacticorum traxisse, quae potius a patria auctoris denominata videri. Feminas ergo, in fabulis illustres, auctor tractavit Naupacticorum, inter quas quidni etiam Phaedram attigerit, in cujus enarranda morte Hippolytus praetermittendus omnino non fuit? Rara, quae supersunt, Naupacticorum fragmenta etiam demonstrant, eorum scriptorem celeberrimas de Iasone et Medea fabulas (cf. Paus. lib. II, 3, 9.), genealogias regum Messeniorum (cf. id. lib. IV, 2, 1.) una cum origine Heraclidarum, qui, octogesimo circiter post Trojam eversam anno [cf. Thuc. I, 12. Diod. I, 5. Clem. Alex. Strom. I. p. 336. B.], e Locride in Peloponnesum trajecturi, Naupacto oppido nomen dederunt (cf. Apoll. lib. II, 8, 2.), nec non famas, de Aesculapio divulgatas, cujus ibi nobile templum extitit [cf. Paus. lib. X, 38, 13.], celebrasse. Vid. H. Ulric. l. l. p. 437. Atque, ubi Aesculapius celebratus sit, ibi Hippolytum nominatum esse, adeone omni repugnat verisimilitudini, ut Heynius perhibet? Non putem, qui proinde Naupacticorum scriptorem ad famam, qua Hippolytus ab Aesculapio ex inferis revocatus traditur, confirmandam recte ab Apollodoro laudatum esse arbitrer. De Carcino autem quae nos accuratiora docere possent, aetatem non tulerunt. Cujus carmen quoniam a Pausania lib. IV, cap. 2. init. cum Eoeis et Cinaethonis Lacedaemonii, qui circa Ol. V. floruit [1]), genealogiis contenditur, pro antiquissimo haberi merito poterit. Nam Scholiastae Apoll. Rhod. II, 299., Naupactica Neoptolemo cuidam attribuentis,

1) *Arctinum* conjicit Herm. Ulricius hist. poës. gr. tom. I. pag. 436.

2) Suid. s. v. *Χάρων Λαμψακηνὸς υἱὸς Πυθοκλέους, γενόμενος κατὰ τὸν πρῶτον Δαρεῖον, οθ' Ὀλυμπιάδα·* ubi *ξθ'* pro *οθ'* proposuit Clintonus. Cf. Fr. Creuzer. fragm. hist. gr. pag. 89. seqq.

1) cf. H. Ulric. l. l. pag. 429. et O. Muell. Dor. pag. 487.

auctoritatem admodum singularem, certaque aliorum fide destitutam, errore niti recte perspexit H. Ulricius [1]), Neoptolemum istum certe Parianum, qui multo post Charontem vixerit, esse non posse perhibens. Cf. A. Veichert. de Apoll. Rhod. vit. et scriptt. p. 213. seqq.

4. Antiquissimis igitur, ut quod summum est complectar, fabulis memoriae traditum fuit, Hippolytum Aesculapii ope ex inferis esse reductum. Id quod praeter Carcinum, Apollodorum, Pindari et Euripidis Scholiastas etiam Virgilius Aen. lib. VII, 766-769., Ovidius Metam. lib. XV, 530-535., Claud. Fescenn. I, 16., Hyginus fab. CCLI., Pausanias lib. II, 27, 4. contestantur. Quodsi vero a Lactantio de fals. relig. I, 10, 17. et a Staphylo apud Sext. Empir. adv. Mathem. I, 12. illa mortui Hippolyti resuscitatio in sanationem saucii deflectitur: Lactantius quidem laudis Aesculapii detrectandae studio, Staphylus vero rei miraculo eximendae gratia ad eam, quam diximus, fabulae commutationem adductus esse videtur. Postremo reduxit Aesculapius Hippolytum, precibus Dianae obtemperans [cf. Hygin. l. l. Virg. Aen. lib. VII, 769. Serv. et Pompon. Sabin. ad Virg. l. l. VII, 761., Lactant. Plac. 15, 45.], aut auro ab ea corruptus [cf. Schol. ad Pind. Pyth. III, 96.], eumque inter multos, quos, a Phoebi filio vitae redditos, enumerant Sextus Empiricus l. l. et Scholiastae l. l., omnium ultimum. Cf. Eratosth. Catast. c. VI.

5. Itaque quum, Hippolytum Aesculapii medicina ad superos rediisse dici, certissimis apertissimisque

1) L. l. pag. 338. annot.

testimoniis ostenderimus: sequitur, ut, qualem fama redivivum finxerit, accuratius inquiramus.

Auctor procedit Pausanias lib. II, 27, 4. [1]), Epidauri in nemore, Aesculapio sacro, antiquam se columnam repperisse, qua Hippolytus deo illi equos viginti consecrasse diceretur. Hujus columnae epigrammati, eodem tradente, congruenter praedicabant Ariciae incolae, Hippolytum, quum Thesei diris occubuisset, Aesculapio opitulante revixisse, neglectisque patris precibus, Italiam et quidem Ariciam petiisse, ibi regnasse, Dianae templum dicasse. Fuit autem, cujus religionem Hippolytus Ariciae instituit, Diana Taurica, cui qui sacerdos addici vellet, terribili necessitate, usque ad Antoninorum aetatem propagata, obstrictus tenebatur, scilicet cum eo, qui tristi illo munere fungeretur, pugna singulari decertandi: ad quam tamen nonnisi servi fugitivi admittebantur. Testes id. Pausanias l. l. et Strabo lib. V, 3. Cf. etiam Ovid. Metam. lib. XV, v. 489; Fast. lib. III, v. 271. seq.; Art. Am. lib. I, v. 260., Paus. lib. I, 23, 7; III, 16, 18. In nemore Aricino Hippolytus mortalitatem exuisse, nomenque, quod equorum admonere posset, deposuisse dicitur. Cf. Virg. Aen. lib. VII, v. 777. seqq., Ovid. Metam. lib. XV, v. 544., Lact. Plac. XV, 45. Qui usque eo Hippolytus fuerat, is deinceps Virbius evasit: ad cujus lucum equis vehi, nefas habitum est. Cf. Virg. l. l., Ovid. Fast. lib. III, v. 266. [2])

1) Hujus loci quam Phil. Buttmannus Mythol. pag. 154. seq. dedit explicationem, ea mihi optantis potius, quam interpretantis esse videtur.

2) Vid. et Claud. Fescenn. I, 16.

Diana vero, ut amasium tutum praestaret, impuneque visere posset, ora ejus transformavit, aetatemque iis addidit. Cf. Virg. l. l. v. 776., Ovid. Metam. l. l. vv. 538. 539. Filium Virbius et ipsum Virbium nonnisi Virgilii Musae debere videtur.

6. Uti ab Ariciae incolis, ita etiam a Troezeniis divini Hippolyto honores tributi sunt. Quid enim? Nonne lucus, templum, simulacrum cum sacerdotio sacrisque solemnibus, quae Hippolyto Troezene dicata esse pag. 36. vidimus, certa divinae, qua ibi adoratus sit, venerationis indicia sunt? Cf. Ez. Spanh. ad Call. Hymn. in Minerv. v. 161., Diod. lib. IV, 62. extr. Neque vero reliqua Graecia non curavit Hippolyti cultum, cujus rei fidem faciunt duo monumenta, honori ejus destinata, quorum alterum Athenis extitit, Themidis fano, juxta templum Aesculapii extructo, imminens, alterum Spartae, ad Magnae Matris aedem conditum. Cf. Paus. lib. I, 22, 1; III, 12, 9.

7. Jam vero memento, illum ipsum, qui Hippolyto Troezene obtigerit, cultum divinum apud Euripidem Troezeniis imperare Dianam, addeque, Dianae Hippolytum Lycaeae templum sacrasse [cf. Paus. lib. II, 31, 4.]: dubitare non poteris, quin is **deus inferioris ordinis, Dianae adjunctus**, judicari debeat. Quid? quod hanc ipsam indolem, quam redivivo Hippolyto vindicare studuimus, apud Ovidium Metam. lib. XV. vv. 545. 546. Virbius sibi attribuit ipse:

Hoc nemus inde colo, de disque minoribus unus
Numine sub dominae lateo atque accenseor illi.

Indicavit sententiam istam etiam Servius ad Virg. Aen. lib. VII. v. 761. his verbis: „Revera, ut etiam supra [i. e. ad lib. VI. v. 445.] diximus, Virbius est numen,

adjunctum Dianae, ut Matri deum Atys, Veneri Adonis.“ Haec, a Servio injecta, Adonidis commemoratio me admonet, ut etiam Euripidis fabulae versus [1418-1422.] in partes vocem hosce:

ΑΡΤΕΜΙΣ.

Ἐγὼ γὰρ αὐτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς,
Ὃς ἂν μάλιστα φίλτατος κυρῇ βροτῶν,
Τόξοις ἀφύκτοις τοῖςδε τιμωρήσομαι.

Alius iste, qui sit Veneri carissimus, ipse intelligendus est Adonis, quod numen Veneri adjunctum fuisse, nota res est. Cf. Paus. lib. IX, 41, 42. Quem quum Diana dicat se interfecturam [1]), quippe quo extincti Hippolyti poenas a Venere repetat, simul Hippolytum sibi eundem esse, atque Veneri Adonin, significare videtur. Cf. Claud. Fescenn. I, 16.

Hinc apparet, in Hippolyto numen latere minorum gentium, Dianae accensum. Atque haec ipsa mythica notio est, quam in nobili de Hippolyto fabula expressam esse putamus. Quae num etiam allegorice explicari possit, postremo considerandum est.

II. Mythi explicatio mystica.

1. Antiquis fabulis fere omnibus notionem aliquam non solum mythicam, sed mysticam inesse, vetus est, eaque post longum, quo jacuit, contemtum novam hodie auctoritatem nacta opinio. Quae quum semper omni, qua valet, vi interdumque nimia dominaretur in explicandis dialogis Platonicis, qui, spreta allegoria, recte intelligi omnino non possunt: ex Ho-

1) Et profecto Adonin, Dianae iracundia in venatione ab apro percussum, interiisse narrat Apoll. lib. III, capp. 3. 4. Cf. Th. Chr. Harl. ad Bion. Idyll. I, 1.

meri carminibus plerumque amara interpretum irrisione expulsa est. Fefellit istos, credo, maxime praejudicata quaedam opinio, qua fabulae Homericae si sensum mysticum habere existimandae sint, ejus notitiam simul etiam Homero vindicandam esse judicarunt. Quum vero Homerus mythis suis mysticam aliquam significationem inesse velle non videatur, ejus ipsius eruendae artem, tanquam dumum ex roseto, criticen ex Homero, cujus ea nativam pulcritudinem turpissime deformaret, amandandam arbitrati sunt. Sed admodum vereor, ne illi non accurate distinxerint inter consilium, quo fabula quaeque a scriptore aliquo usurparetur, et inter vim, quam in se involutam ferret ipsa. Homerus, quibus utitur in utroque carmine suo fabulis, eas plerasque, cana vetustate vel in ipsa Graecia fictas vel aliunde assumtas, filioque a patre traditas, et ad aetatem suam propagatas acceperat. Quibus utrum ipse praeter mythicam etiam alteram quandam significationem tribuerit, necne, in ambiguo relinquam: saltem principes earum auctores suas iis sententias, quas de rebus gravissimis maximeque mirabilibus, veluti de rerum natura, de hominum vita, de utriusque gubernatione, amplexi essent, committere voluisse, certissime mihi persuasum est. Illas igitur notiones, Homericis fabulis, vel nescio Homero, inhaerentes, ex iis elicere et reperire, interpretis, non tam Homerum, quam Homericum mythum explicantis, officium est. Quod quidem quum interdum in ingenia audacia, furiosa, nullo rationis freno gubernata, inciderit, eandem invidiam atque infamiam suscepit. Verumtamen quis tam cupidus judex est, ut hominum errorem ad rei contemtionem trahat?

Haec praemonenda erant, ne ad consilium nostrae fabulae, quam summae vetustati radices immittere supra pag. 36. seqq. vidimus, mystice interpretandae temere delapsus esse viderer. Ipsa autem, quam exhibui, interpretatio sive placebit Viris Doctis, sive displicebit: hoc rogo et opto, ne aut veri explorandi, quod secutus sum, studium arrogantia, aut industria, quam ei navavi, Danaïdum opera existimetur!

2. Ut autem, quod sentimus, breviter dicamus, Hippolytum solem significare, intereuntemque et reviviscentem Hippolytum occidentis et orientis solis imaginem esse arbitramur. Innuit opinionem istam adeo vetus interpres Servius ad Virg. Aen. lib. VII, v. 776., cujus vestigia presse sequendo Phil. Buttmannus Mythol. tom. II. pag. 147. seqq. fere ad eandem devenit, qui tamen quod Aesculapium eundem atque Hippolytum esse conjecit, nos adstipulantes habere nequit. Argumenta, quibus conjecturam suam stabiliret, bina potissimum attulit: alterum, quod Hippolyti ubivis in Aesculapii nominis vicinia fieret mentio, alterum, quod uterque ob artem medicam celebratus reperiretur. Atque illius quidem argumenti statim in oculos incidit solius per se in judicio aliquo confirmando vim prorsus nullam esse, quod ad conjecturae alicujus, vel aliunde probabilis, verisimilitudinem sive augendam, sive amplificandam nonnisi cumuli instar adjici possit. Quare alteram, qua Buttmanni sententia nititur, caussam examinemus: quae, ut per se constet, tamen quod ex ea consequi vult Vir Laudatissimus, id cur consequatur, non intelligo. Quid enim? Aesculapiusne ut cum Hippolyto idem sit propterea, quod medicinae uterque flo-

ruit laude? Proinde quasi aër soli propterea aequiparari possit, quod sine utroque animalia vivere nequeant. Vide igitur, ne Buttmannus, quum unam utriusque communem numinis virtutem numina ipsa conficere putarit, in errorem inductus sit. Quamquam enim unusquisque deus in maxima facultatum, sibi attributarum, copia idem et esse et manere debet: tamen una quacunque virtute universa ejus indoles contineri nequit, quae potius, ut focus speculi caustici cunctis, quibus id feritur, radiis in unum locum collectis, ita et ipsa omnibus, quibus cernitur, virtutibus in unam tanquam imaginem comprehensis, eruenda est. Haec igitur et Hippolyti et Aesculapii indoles Buttmanno exploranda fuit, alterique si alteram respondere repperisset, utrumque idem esse numen, suo jure collegisset. Jam vero conjectura ejus una illa, quae Hippolyti et Aesculapii communis fuisse fertur, sanandi facultate nititur: cujus quidni alia, ac quam Buttmannus fingit, ratio in utroque obtinere queat? Nonne alter alteri artem suam acceptam referre potest, ut, quod alter vi innata exerceat, communicata alter facultate praestet? Ac profecto medendi virium, et Hippolyto et Aesculapio tributarum, rationem talem obtinuisse, eas ut ille sua indole et natura, hic vero, illo intercedente et opitulante, serere putaretur, infra [1]) demonstrare conabor. Antea vero, quum Hippolytum solem significare dixerimus, hujus opinionis argumenta ita proferenda sunt, ut, allegoriae forma unde depromta sit, simul appareat.

1) pag. 54. seq.

3. Primam igitur conjecturae ansam mihi praebuit Pausanias, qui lib. II, cap. 32. §. 1. Hippolytum a Troezeniis pro auriga, qui in coelo appelletur, haberi tradit. Hac nota semel reperta, num alia fortasse vestigia, eam aut confirmantia aut amplificantia, invenire possem, circumspexi. Quae inveni, ea inter se conjungere, et certae cuidam rationis normae adaptare conatus sum. Comparavi autem solis indolem cum Hippolyto: quam suxeram suspicionem, eam ubivis magna cum voluptate mea certiorem fieri vidi. Atqui cernitur natura solis ipsius virtutibus. Hae ergo deinceps perlustrandae, et cum Hippolyti virtutibus comparandae sunt.

4. Ac primum quidem sol coeli spatia percurrens diei, quo terram illustrat, auctor est. Quo quidem munere fungentem eum veteres non inanimum, sed, quo erant capti universam rerum naturam divinis numinibus complendi studio, deum esse credebant, qui curru veheretur [cf. Paus. lib. X, 19, 4.] vehensque occideret [cf. id. lib. V, 11, 8.] et equis mactandis placaretur [cf. id. lib. III, 20, 4.], Ἥλιον. Vid. Horat. carm. saec. v. 9. seqq., Hom. Il. σ', v. 484., Eurip. Electr. ed. Jac. Barn. v. 466; Ion. v. 1148. Quid? Nonne eadem etiam in Hippolytum cadunt? Equi Hippolyti nomen conficiunt [1]), equi eum, per littora [2]) vehentem, excutiunt, equi a nemore Aricino, ipsius sacro religione, arcentur. Cf. pag. 41. Quin, teste Pausania lib. II, cap. 32. §. 1., ipsius currus solaris guber-

1) Ἱππόλυτος = ἵπποις λυτός.

2) „sinus Corinthiaci“ Ovid. Met. XV, v. 507. „Saronici“ Eur. Hipp. v. 1195.

natorem Troezenii Hippolytum ferebant. — Sol porro purus, clarus, candidus praedicabatur. Et revera Hippolyti moribus, quibus tantum non exemplar virtutis nobis intueri videamur, quid cogitari potest castius, quid sincerius, quid integrius? — Denique Sol attingi non potest. Verum nec Hippolyti simulacrum contrectari voluerunt veteres. Huc pertinet, quod Pausanias lib. II, 32, 1. testatur, Troezenios, etiamsi scientes, Hippolyti sepulcrum nemini ostendisse, huc, quod Servius ad Virg. Aen. lib. VII, v. 778. annotat, Virbii imaginem attingere nefas habitum esse, huc, quod Ovid. Fast. lib. III, v. 263. seqq. prodit, Hippolytum in valle Aricina, liciis dependentibus velata silvisque opacis praecincta, latuisse.

5. Deinde sol radiis suis mortiferas pestes luesque immittere putabatur, ejusque vis incusabatur, si quis exanimis repente concidisset. Cf. Interpp. ad Eur. Hipp. v. 533., Paul. Voët. ad Callim. Hymn. in Dian. v. 125. Haec quoque solis facultas personam induit, cui nomen extat Apollini. Cf. Schol. ad Eur. Orest. v. 1397. = Macrob. Saturn. I, c. 17. [1]),

1) Versus, qui in schol. et apud Macrob. occurrunt, ex Euripidis Phaëthonte depromti, hi sunt duo:

Ὦ χρυσοφεγγὴς ἥλι', ὥς μ' ἀπώλεσας,
Ὅθεν σ' Ἀπόλλων' ἐμφανῶς κλῄζει βροτός.

„Originatio postrema non absurda tantum est, sed in deorum etiam beneficentissimum injuria, qui, ut ait Pindarus, κατεκρίθη θνατοῖς ἀγανώτατος ἔμμεν.“ Valcken. ad Eurip. Phoen. v. 27. At vide, ne justo calidius judicaverit V. D. Nonne enim Apollo, quatenus lucem praebet hominibus, θνατοῖς ἀγανώτατος, quatenus autem iis exitium machinatur, ἀπὸ τοῦ ἀπολέσαι nomen traxisse merito potuit pronuntiari? Sic ego certe Euripidem injuria, qua Apollinem affecisse videtur Valckenario, liberari debere arbitror.

Hom. Il. α', v. 43. seqq., Paus. lib. VII, 23, 8., Strab. lib. XIV. pag. 635. Ne igitur soli Hippolytum temere aequiparasse videamur, eum Apollini quoque, morborum perniciosorum auctori, respondere demonstrandum est. Quam ipsam orsuros demonstrationem magnus nos timor subit, ea ne Viris Doctis risum motura sit haud inficetum. Sed quid faciamus? Armane, in pugnam prolata, ut Cleonymus ille Aristophaneus, prius abjiciamus, quam, quid ea valeant, quid non, experti simus? Haec vero non est nostra sententia, qui Hippolytum eundem atque Apollinem monstrare, vel invito Apolline, audeamus. Memoriae proditum est, initio Olymp. LXXXVII, 4. pestem illam funestissimam, qua et Pericles occidit, Athenis saeviisse [cf. Thuc. II, 47. seqq.], saevireque vix desiisse, quum ludi scenici, quotannis celebrandi, instabant. Quoniam vero tulit aetatis istius genius, ut, quidquid magnum aut memorabile in civitate factum esset [1]), scenae judicium experiretur: Euripides quoque, ad concelebrandum festum illud cum Hippolyto fabula in arenam descensurus, talem ei locum prudenter innectendum putavit, quo tristem fortunae plagam, quam modo recepissent Athenienses, tecte significaret. Hinc sine dubio longa illa et accurata fluxit, quae alioquin idonea caussa caret, Phaedrae morbi descriptio, quam eo magis auditorum animos commovisse par est, quo recentiori memoria similis, quem ipsi experti fuerant, casus viguit. Itaque una cum Phaedrae morbo simul pestem, quae paullo ante doctum ab Euripide Hippolytum Athenas tenuerat, adumbrari constat. Cf. Aug.

1) cf. pag. 18.

Boeckh. de gr. tr. pr. pagg. 181. 184. Qua ex re quid colligi queat, videamus. Atqui injicit mortiferum Phaedrae amorem Hippolytus. Quid? Nonne, quam in re deprehendimus allegoriam, eadem etiam in ejus auctore inesse potuerit? Videlicet, uti Phaedrae fatalem morbum Hippolytus incutit, ita in universum mortalibus pestes immittere visus est Apollo. Cf. pag. 48. Hanc autem comparationem quum necessario instituere deberet, quisquis Atheniensium, quid sibi vellet ampla illa Phaedrae morbi descriptio, intellexerat: tamen nescio, an solido ea fundamento destituta fuerit, nisi auditores, Hippolytum cum Apolline proprie eundem esse, obscura mentis cogitatione sensisse concesseris. Hac demum admissa conditione tota, de qua agitur, allegoria, majorem, opinor, accipit et elegantiae laudem, et pulcritudinis commendationem, et vero tanquam sanguinis carnisque colorem. — Immittere porro pestes uti sol radiis, ita sagittis putabatur Apollo, cui ideo arcus, pharetra, tela tribuebantur. Cf. Hom. Il. α', 21, 35. 75. 110. 438. 451; ϱ', 439. 444; φ', 46. 478; Odyss. η', 64; ϑ', 323. 339; ο', 410; ϱ', 251. 494; υ', 278. Hymn. in Apoll. 140. 177. 215. 222. 239. 287. 357. 382. 420. 440. 474; in Merc. 18. 234. 236. 281. 327. 333. 500; in Vener. 152; in Dian. 5; in Bacch. 19., Pind. Pyth. IX, 28., Paus. X, 12, 6., Horat. Od. I, 21, 10. Sed etiam Hippolytum juvant sagittae, juvat arcus, juvat venatio. Qua de re statim prologo fabulae Euripideae edocemur, ubi Hippolytum, cum frequenti comitum corona e silvis revertentem, introduci vidimus [1]).

1) Testatur etiam Paus. lib. II, 32, 2., Troezene in luci, Hippolyto sacri, ambitu Apollinis templum extructum fuisse. Quod testimonium licet rem non conficiat, eam certe probabiliorem reddere videtur. Quare in nota subjectum est.

6. Quoniam vero cum pessumdandi facultate sanandi vis arctissime cohaeret, eamque et ipsam a sole proficisci putabant veteres, factum est, ut Apollo simul *ϑεὸς ἀκέσιος* sive *Παιὼν* existeret. Cf. Paus. VI, 24, 6; I, 34, 3. Argumenta, quibus ejusdem virtutis laudem etiam Hippolyto comparare liceret, nobis praeripuit Buttmannus, qui, Ovid. Fast. III, 265. seqq. et Cassiodori Orthogr. c. 6. testimoniis nixus, Hippolytum ut *σωτῆρα* in nemore Arcino adoratum, esse luculenter ostendit in Mythol. tom. II. p. 147. seqq.

7. Denique sol veritatis imago esse a veteribus credebatur. At Hippolytus quoque veritatem sectabatur, spernebat res ludicras. Cui quod a Theseo [Hipp. fab. v. 956. seqq.] vita, librorum Orphicarumque doctrinarum studio consecrata, attribuitur, id non solum ad Euripidis, flosculorum ex sapientiae horto decerptorum amantis, ingenium referri debere, sed procul dubio e fama aliqua vetusta, qua Hippolytus rerum naturam diligenter pervestigasse traditus sit, profectum esse, rectissime judicat Buttmannus Mythol. tom. II. pag. 148. [1]). Nec tamen solis illa claritas, qui omnis cum veritate conjunctae sapientiae tanquam fons existimabatur, personam effugit: quam qui repraesentaret, inventus est *Λοξίας*, oraculi Delphici auctor. Cf. Pind. Pyth. III, 46. 47. Nomen *Λοξίου* deus Pythius a vaticiniorum suorum ambiguitate traxit. Cf. Eur. Iph.

1) Aliter censent Velcker. Mus. Rhen. Suppl. II, 2. pag. 749. et Grupp. Ariadn. pag. 388.

T. 1613; Ion. 36; Dan. 10., Schol. ad ejusd. Orest. ed. Jac. Barn. 165. Interpres divinae Λοξίου sapientiae fuit Pythia, quae quod a deo suggestum acceperat, consulentibus mortalibus impertiebat. Cf. Herod. I, 47. 55. 65. 66. 67. 85. etc. Jam vero videndum est, quomodo, Hippolytum eadem divinandi facultate excelluisse ostendamus. In partes ideo vocandi sunt Ovidius [Fast. III, 261, seqq., Met. XV, 479.] et Virgilius [Aen. VII, 761. seqq.], qui in eodem, quo cultus Hippolytus sit, Aricino nemore etiam Egeriam nympham latuisse tradunt. Egeriam autem Numae, bellicosam Romanorum gentem pacis artibus moderaturo, consilium legesque sanciendas dedisse, nota fabula est. Cf. Liv. I, 19., Ovid. l. l., al. Reperimus igitur in luco Aricino haud obscura oraculi alicujus vestigia. Quod quidem solamne ad Egeriam, an simul etiam ad Hippolytum pertineat, dubitanti omnem dubitationem auferet Virgilius, qui l. l. v. 775. Hippolytum Egeriae nymphae a Diana commendatum esse diserte dicit. Haec autem ipsa, qua alter alteri allegatus fertur, commendatio quum aliquo certe modo accipienda sit et explicanda, rationem ego, quam inter utrumque numen intercedere crediderint veteres, non perspicio aptiorem ea, quam in fingenda Pythiae cum Loxia conjunctione praeierunt ipsi. — Quam sic inter Hippolytum et Loxiam deteximus similitudinem, eam ex communi utriusque divinandi facultate petitam esse, apparet. Quid? quod etiam in ratione, qua utrumque numen a mortalibus cultum adoratumque est, eandem similitudinem deprehendimus. Nimirum tradit Plutarchus vit. Thes. ed. Aug. Bryan. pag. 4., solemnem olim fuisse morem, ut, ex pueris qui excederent, profecti Delphos comae primitias deo Pythio sacrarent. Cf. Nicod. Frischlin. ad Callim. Hymn. in Del. v. 296. Item Hippolyto juvenes atque virgines Troezenios ante nuptias comae partem ponere coactos fuisse, supra pag. 36. expositum est. Rem ipsam in utraque fama eandem esse patet. Quippe comae et Loxiae et Hippolyto a castis adolescentibus dedicari solebant. Quam quidem consuetudinem quod Plutarchus nonnisi juvenes, ex ephebis egredientes, Pseudo-Lucianus [de Syria dea Tom. III, pp. 489. 490.] vero cum juvenibus etiam virgines, matrimonium inituras, tenuisse dicit: id non tanti est, quod in censum venire possit.

8. Postquam igitur Hippolytum soli, et Ἡλίου et Ἀπόλλωνος et Λοξίου persona induto, respondere pro viribus demonstravimus: restat, ut arctam quoque, quae Dianae cum Hippolyto fuisse fertur, societatem physicae hujus significationi consentaneam esse ostendamus. Quod quidem ubi nobis cesserit, argumentatio nostra summam probabilitatis speciem nacta esse, verique tanquam obrussam sustinuisse videbitur. Nos autem sic existimamus, Dianam nonnisi unam de iis, quae lunae a veteribus tributae sunt, virtutibus designare. Potestas enim lunae triplex habita est, quarum prima fuit illa, ut sub Σελήνης nomine lucem praeberet terrae, noctis caligine tectae [Cf. Interpp. ad Horat. Od. III, 22, 4; carm. saec. 2., Virg. Aen. IV, 511., Ovid. Met. VII, 194; Heroïd. 12, 79.], altera, ut, sumta Ἀρτέμιδος [Dianae] persona, pestes gubernaret [1], eas et pellens et immittens [cf. Paus. I, 40, 2; I, 44, 2; II, 31, 1; II, 22, 12; VII, 27, 3; VIII,

---

1) cf. Anthol. Gr. tom. II. p. 208., Bentl. ad Hor. Od. I, 21, 13.

30, 3; VIII, 39, 5., Horat. carm. saec. 13.], tertia, ut, Ἑκάτη appellata, incantationibus rebusque magicis praeesset. [Cf. Ovid. Met. lib. VII, 194. seqq., Paus. II, 30, 2.]. Hanc vero triplicem lunae vim et faciem triplici solis facultati et personae simillimam esse et conjunctissimam, nemo est, quin videat. Quae enim arctior necessitudo cogitari potest, quam quae inter Solem et Lunam, lucis, quam praebent, communione consociatos, inter Apollinem et Dianam, sanandi pessumdandique potestate praeditos, inter Loxiam et Hecaten, mystica alterum divinandi alteram incantandi vi conspicuam, intercedit? [1]) Apparet igitur, quae Hippolyto cum Diana fuisse fertur conjunctio, eandem esse soli cum luna similitudinem.

9. Hactenus caussas enarravimus, e quibus Hippolytum solem significare conjecimus. Cui conjecturae quomodo duae res, quae superest ut in Hippolyti fortuna explicentur, ejus et interitus et resuscitatio, conveniant, perpendamus. Atqui periisse Hippolytus Neptuno auctore traditur. Quum vero Neptunus maris notionem contineat, mari Hippolytus occidisse putandus est. Et, hercle, quis nescit, apud Graecos et Romanos hanc valuisse opinionem, ut solem, mari submersum, obire crederent? Resuscitatus deinde Hippolytus per Aesculapium esse fertur. Quam famam explicituris nobis etsi illud quidem certum videtur et exploratum, Graecos quum in omnibus diis non tam ethicam, quam physicam aliquam notionem

1) Etiam cultus Dianae Apollini similis fuit. Cf. Hor. Od. I, 21; carm. saec., Prop. I, 10, 8., Eur. Hipp. 103. 207., Paus. II, 27, 4; III, 14, 6., Valck. ad Eur. Hipp. v 1423., sexcent. al.

agnovisse et adorasse constet, talem etiam in Aesculapio esse contemplatos: ea tamen quae sit et qualis quaeritur. Cui ut respondere possem quaestioni, opem a Pausania expectavi. Nec frustra. Repperi enim in ejus lib. VII, 23, 8. Sidonii alicujus hominis de Aesculapio sententiam, quae mihi quidem eo majori fide digna videtur, quo certius est, veterum superstitionem, ab Asiaticis populis profectam, ad Graecos transiisse. Est autem Phoenicii auctoris nostri opinio, Aesculapium allegorice a ë r e m significare. Quae notio, ad Hippolytum i. e. ad solem relata, efficit, ut is aëris vi revixisse existimandus sit. Qua ipsa surgentis solis imagine vix quidquam esse credo, quod vividius, simulque Graecorum opinionibus, qui in explicandis naturae adytis speciem potissimum, sensibus commendatam, sequi solebant, cogitari possit aptius. Hinc simul elucet, Hippolytum non, uti Buttmannus Mythol. II, p. 147. seqq. vult [1]), cum Aesculapio eundem esse, sed, quoad naturam et indolem, toto ab eo coelo discrepare. Tribuitur sane, quemadmodum Hippolyto, ita Aesculapio quoque medendi facultas, cujus tamen ratio alia in hoc est, alia in illo. Quum enim Hippolytus sive sol sanandi vim in se contineat ipse, Aesculapius sive aër eam non habet, nisi a sole datam et acceptam. Cf. Pausan. VII, 23, 8. Quae ipsa res etiam fabulis antiquis venustissime expressa est, quibus Aesculapius filius Phoebi fuisse dicitur.

1) cf. pag. 45. seq

Theses.

1) Quae in Josephi Scaligeri Thesauro temporum edita est Olympiadum descriptio [*Ὀλυμπιάδων ἀναγραφή*], ejus auctor non, ut multi et credunt et crediderunt, vetus aliqui scriptor, sed ipse habendus Scaliger est.

2) Centumviri in judiciis privatis de iis rebus judicabant, quae legibus vel non possent judicari, vel judicandae esse negarentur.

3) Fanaticus deorum cultus apud Romanos externus fuit.

4) Quarta M. Tull. Ciceronis in L. Serg. Catilinam oratio spuria est.

5) Apud Paus. lib. II, cap. 27. §. 4. verba *ὁμολογοῦντα λέγουσιν* usque ad *τέμενος* vim suam exerunt.

6) C. Cornel. Tacito Ann. lib. I, cap. 10. pro codicum lectione „— *nuberetque Tedii et Vedii Pollionis luxus.*“ sine dubio „— *nuberet. Ventidii et Vedii Pollionis luxus.*“ restituendum est.

Vita auctoris.

Ego, Carolus Henricus Evaldus Scheibel, a. d. III. Id. Octobr. a. h. s. XIX. natus sum Gubenae Lusatorum, patre Samuele, pellione, quo adhuc superstite gaudeo, matre Eleonora de gente Roesleriana, quam, praematura morte undecimo abhinc anno mihi ereptam, tristissimo animo lugeo. At alterius matris instar veneror Henriettam, e gente Leschkiana oriundam, quam pater optimus filiis suis educatricem dedit comem et benignam. Confessioni addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutum me, sexennem puerum, excepit Gymnasium, quod, initio quidem Guilelmi Richteri, tum vero, postquam is munere, eximia cum virtute gesto, a. h. s. XXXIII. se abdicavit, Fr. Guilelmi Reimnitii auspiciis in urbe patria florens, per undecim annos frequentavi. Postquam ibi tradentibus Viris Clarissimis, quorum multis mihi nominibus memoria est celebranda, Guilelmo Reimnitio, Friderico Grasero, Guilelmo Sausio, Ernesto Richtero, Carolo Kerbero, eas litteras et disciplinas, quae in scholis doceri solent, didici: a. h. s. XXXVII. exeunte, maturitatis testi-

monio instructus, almam petii Universitatem Litterariam Fridericam Guilelmam, inter cujus cives ab **Augusto Boeckhio**, Rectore Magnifico, receptus sum. Jam vero per haec septem semestria, quibus, licet non neglecto theologiae studio, maximam tamen philologiae operam navavi, hisce interfui Virorum Illustrissimorum et Celsissimorum lectionibus:

I. theologicis, Aug. Neandri de quattuor evangeliis et de ecclesiae historia, Phil. Marheinekii de theologia dogmatica, F. Benarii de Jesaiae vaticiniis;

II. philosophicis, F. A. Trendelenburgii de logice deque christianae philosophiae historia, H. Steffensii de psychologia, F. E. Benekii de paedagogice, C. L. Micheletii de universalis philosophiae historia;

III. philologicis, Aug. Boeckhii de philologiae encyclopaedia, de Graecae litteraturae historia deque Graecis antiquitatibus, de arte metrorum, de Pindari Olympiis et Pythiis, de Sophoclis Antigone, de Demosthenis pro Corona oratione; Car. Timoth. Zumptii de Romanarum litterarum historia et de Romanis antiquitatibus, de Horatii Satiris, de Ciceronis pro Murena, pro Flacco, pro Sulla, in Catil. orationibus, de Taciti Annalibus; Car. Lachmanni de Aeschyli Agamemnone et Choëphoris, de Propertii carminibus, de Horatii Epistolis et Arte Poëtica; I. G. Droysenii de Aristophanis Avibus et Equitibus; C. G. Kruegeri de ejusdem poëtae Ranis deque syntaxi graeca; denique F. Boppii de grammatica Sanscrita et de etymologia graeca;

IV. historicis et geographicis, Car. Timoth. Zumptii de Romanorum, L. Rankii de Germanorum rebus gestis; hujus ejusdem et Beat. Ed. Gansii de recentiorum temporum historia; C. Ritteri de geographia universali;

V. mathematicis denique M. Ohmii de calculo differentiali et integrali.

Quibus Viris omnibus Excellentissimis uti dignas aliquando summis, quae in me contulerint, doctrinae beneficiis referre gratias possim, Deum O. M. enixe precor.